



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VI. De Ecclesia visibilitate, perpetuitate, & indefectibilitate à
vera fide.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

fessione; & per hoc excluduntur ab Ecclesia infideles omnes, qui nunquam in ea fuerunt, ut Judæi, Mahumerani, & Pagani, item manifesti hæretici, & apostatae. Dicitur 3. Communione eorum sacramentorum; & per hoc excluduntur ab Ecclesia catechumeni & excommunicati publicè ac nominatim: hi enim à sacramentorum participatione repulsi sunt, illi verò ad eam nondum admissi. Dicitur 4. Sub regimine legitimorum pastorum; & per hoc excluduntur ab Ecclesia schismatici, qui quidem veram fidem profitentur, & vera sacramenta participant, sed non subijciuntur legitimæ authoritati; unde non in Ecclesia, sed extra Ecclesiam veram fidem profitentur, & vera sacramenta participant.

Obi. Supposita hac descriptione Ecclesiæ ut bona, 1. homo non baptizatus potest esse in Ecclesia. 2. Excommunicatus, qui nimirum excommunicationem ipso facto incurrit, nec publicè ac nominatim denunciatus est, manet in Ecclesia. 3. Excommunicatus publicè ac nominatim, & manifestus hæreticus, possunt esse de Ecclesia. 4. Possunt etiam esse de Ecclesia Judæi, Mahumerani, & Pagani.

R. ad 1. hominem non baptizatum, de quo non constat quod non sit baptizatus, si fidem christianam profiteatur, & sacramenta participet cum debita subjectione ad prælatos Ecclesiæ, verè esse in Ecclesia, & de Ecclesia. Quod probatur ex Innocentio III. c. *Apostolicam*, extra de presbytero non baptizato; ubi interrogatur, qui sine unda baptismatis extremum diem clausurat, sic respondet, illum, quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & christiani nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutus, & celestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter. Et in fine: *In Ecclesia tua iuges præces, hostiasque Deo offerri jubas pro presbytero memorato.* Ergo presbyter ille non baptizatus, in Ecclesia vixerat & decesserat: nemo enim salvari potest extra Ecclesiam, neque pro iis qui extra Ecclesiam moriuntur offerri possunt præces & hostiæ. Ergo, &c.

R. ad 2. eum, qui excommunicatione ipso facto incurrit, quandiu non denunciatur excommunicatus, esse in Ecclesia & de Ecclesia. Quod patet ex eo quod validè exerceat actus, ad quos iurisdic-tio requiritur, & quos proinde non posset validè exercere, si non esset in Ecclesia & de Ecclesia; nam qui extra Ecclesiam sunt, nullam in ea authoritatem & iurisdictionem habere possunt, ut probatum est. Excommunicatus igitur, sed non denunciatus, sicut ecclesiasticam iurisdictionem retinet de facto, non de jure: ita de facto, non de jure, in Ecclesia & de Ecclesia esse perseverat.

At inquit. Quem ergo in excommunicato non denunciato effectum habebit hæc excommunicandi formula, quæ habetur II. q. 3. *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius christianitatis eliminamus, quoadusque respiciant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.* *R. breviter,* hanc excommunicandi formulam privare excommunicatos non denunciatos, jure manendi in Ecclesia, & sacramenta participandi cum fidelibus, imò & cum illis etiam in civilibus præter casus exceptos communicandi.

R. ad 3. Hæreticum in uno loco manifestum, si alio in loco in quo ignotus est fidem catholicam profiteatur, & participet sacramenta sub regimine legitimorum pastorum, hoc ipso fore in Ecclesia. Idem planè dicendum de homine nominatim excommunicato in uno loco, si in alio in quo notus non est, similiter profiteatur catholicam fidem, &c. tunc enim in uno loco præcisus ab Ecclesia per sententiam excommunicationis, in alio iterum unitur Ecclesiæ per christianæ fidei professionem, & sacramentorum participationem, &c. & per hanc unionem iterum restituitur in Ecclesiam facto, non jure: non enim jure potest esse in Ecclesia, nisi à sententia excommunicationis absol-vatur: unde sententia excommunicationis in eum la-

Simonnet Theol. Tom. II.

ta in eum, quandiu non absolvitur, primum suum semper sortitur effectum.

R. ad 4. idem quod ad 3. *At inquit.* Si ita est, Ecclesia dici poterit cætus hypocritarum, paganorum, Turcarum, &c. *R. neg.* Nam ejusmodi homines si sunt in Ecclesia, in ea valdè pauci sunt. 2. In Ecclesia semper magno numero sunt homines verè fideles, pii, sancti, & electi, à quibus denominanda est: cum denominatio sumenda sit à meliori parte, quando notabilis est. Denique dici potest, ad mentem S. Augustini, Judæos, paganos, &c. si qui sunt in Ecclesia propter fidei christianæ professionem, & communionem sacramentorum, &c. pertinere ad Ecclesiam in obliquo tantum, seu ut partes purè adherentes. Ex ejusmodi autem non aliter pertinentibus ad Ecclesiam, Ecclesia denominari non debet, sed ex solis iustis, qui ad eam pertinent in recto, & partes ipsam constituentes in esse corporis Christi, adeoque in esse verè Ecclesiæ. Pro quo

Nota. Ecclesia, ad mentem S. Doctoris, rectissimè describi potest, Cætus iustorum, per internum fidei, spei & charitatis vinculum connexorum spiritaliter, atque insuper inter se & cum malis per christianæ fidei professionem & eorumdem sacramentorum participationem, sub legitimorum pastorum regimine corporaliter colligatorum. At pessimè sic describeretur. Cætus malorum inter se & cum iustis, per christianæ fidei professionem, & participationem eorumdem sacramentorum, sub legitimorum pastorum regimine corporaliter conjunctorum.

Ratio evidens est: quia Ecclesiæ, secundo modo descriptæ, male convenirent ea omnia, quæ de illa passim dicuntur in Scripturis, ut quod sit corpus Christi, domus Dei, columba unica, pudica & casta, sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, paradisus cum fructu pomorum; ut etiam illud Cant. c. 2. *Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias;* & illud c. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te, &c.* B contra verò hæc omnia Ecclesiæ, primo modo descriptæ, bene conveniunt.

DISPUTATIO VI.

De Ecclesiæ visibilitate, perpetuitate, & indefectibilitate à vera fide.

ARTICULUS I.

Utrum Ecclesia sit visibilis.

Ecclēsiā esse visibilem negat Lutherus lib. de abroganda Missa parte 1. ubi sic loquitur: *Quis Ecclesiam nobis monstrabit? cum sit occulta in spiritu, & solum credatur: credo Ecclesiam sanctam.* Idem negat Calvinus lib. 4. institut. c. 1. §. 7. *Nobis, inquit, invisibilem, solius Dei oculis conspicuam Ecclesiam (eam scilicet, quæ revera est coram Deo Ecclesia) credere necesse est.* Magdeburgenses cent. 1. lib. 1. cap. 4. duplicem fingunt Ecclesiam, unam falsam, & alteram veram. Falsam dicunt esse cætum numerosissimum; & veram, cætum plerumque exiguum, quia ad hanc illi soli pertinent, qui intrant per angustam portam, hoc est, qui veram pietatem colunt, adeoque Ecclesiam invisibilem constituunt. In hac autem duplici Ecclesiæ, quarum una vera est & invisibilis, distinctione, Magdeburgensibus prævit Calvinus loco citato. Sed contra novatores illos omnes cum omnibus catholicis sit

RESPONSIO.

Vera Christi Ecclesia visibilis est.
Prob. 1. ex Script. Nam legitur Act. c. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et 1. ad Timoth. c. 3. *Hæc tibi scribo... ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari,*

L. 2. que

que est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Et Hebr. cap. 13. Obedite prepositis vestris, & subjacete eis. Et Matth. c. 18. Dic Ecclesia; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ex quibus textibus sic argumentor. In vera Christi Ecclesia pastores tenentur gubernare oves suas, eas docere, hortari & instruere, eis sacramenta administrare. Item vicissim tenentur oves pastores suos sequi, vocem eorum, audire, eis obtemperare, eos revereri. Item debet homo fratrem in se delinquentem, & à se correptum, atque respicere nolentem, deferre praelatis Ecclesiae, qui tenentur illum corripere, & contumacem à fidelium communione separare: unde delinquens ipse tenetur praelatos Ecclesiae audire, & illis morem gerere. Atqui manifestum est, nihil horum fieri posse in vera Christi Ecclesia, si non sit visibilis. Ergo, &c.

Et verò si vera Christi Ecclesia invisibilis est, certe quia ii qui in ea & de ea sunt, sunt invisibiles: nam si visibiles sunt, Ecclesiam visibilem esse manifestum est. At si ii qui in de vera Christi Ecclesia sunt, sunt invisibiles, se invicem non possunt agnoscere; atque ita in vera Christi Ecclesia neque pastores oves suas, neque oves pastores suos agnoscere possunt. At si pastores non agnoscunt oves suas, quomodo possunt eas ducere, regere, docere eisque sacramenta administrare? Item si oves non agnoscunt pastores suos, quomodo possunt eos sequi, eorum vocem discernere, eis obtemperare, eis debitam exhibere reverentiam? Clarum igitur est Scripturam locis citatis, veram Christi Ecclesiam visibilitatem supponere, & tam aperte supponere, ut nullum relinquat hæreticis tergiverlandi locum.

Prob. 2. ex Patribus pro quibus omnibus sit hic unus Augustinus, qui veram Christi Ecclesiam visibilitatem contra Donatistas variis locis luculenter defendit, ut epist. 106. sic loquitur, *In sole posuit tabernaculum suum. Ipsa est Ecclesia in Sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terre.* Et tract. 1. in epist. Joan. ubi sic ait: *Nonne ille lapis (Ecclesia Christi) crevit, & factus est mons magnus, & implevit universum orbem terrarum? Numquid digito ostendimus istum montem? ... Nonne (Christi Ecclesia) aperta est? nonne obtinuit omnes gentes? ... Ecclesia civitas, de qua dictum est: Non potest civitas abscondi super montem constituta? ... Erit in novissimis diebus (inquit Isaias) manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium. Quid tam manifestum, quam mons? Sed sunt & montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt ... ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terre ... Mon est super cacumina omnium montium.*

Porro quod de Donatistis subjicit, *In tenebris ambulant, & nesciunt quò eunt, quia tenebre excæcaverunt oculos eorum: montem non vident: nolo mireris; oculos non habent: Unde oculos non habent? Quia tenebre excæcaverunt eos, apprimè cadunt in Lutheranos & Calvinistas, qui voluntariè cæcutientes, videre nolunt Ecclesiam quaquaversum conspicuam, & lucem desiderant sub meridiano sole.*

Prob. 3. ratione triplici. Nam 1. exta veram Christi Ecclesiam nemo salutem consequi potest, ut docent Patres, & inter alios Augustinus lib. 4. de bapt. c. 1. Ecclesia, inquit, *paradiso comparata, indicat nobis posse quidem ejus baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem, beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere ... Baptismus Ecclesie potest esse extra Ecclesiam, munus autem beate vite non nisi intra Ecclesiam reperitur.* Ergo qui non sunt in vera Christi Ecclesia, tenentur ad illam ingredi, & qui in ea sunt, tenentur in ea usque in finem perseverare, membris ejus communicando, & praelatis ejus obediendo: tenentur enim omnes salutem suam procurare. Ergo qui non sunt in vera Christi Ecclesia, possunt in eam ingredi, & qui in ea sunt, possunt in ea perseverare, membris ejus communicando, & obediendo praelatis ejus. Atqui ad hoc utrumque manifestè requiritur visibilitas Ecclesiae, Ergo, &c.

2. Vera Christi Ecclesia (militans scilicet, de qua hic semper loquimur) est societas humana. Atqui omnis societas humana essentialiter visibilis est: societas enim humana sine locis non est, & loci nec sunt nec esse possunt, qui se invicem non agnoscunt: unde nulla societas inter homines perfici potest sine signis externis & sensibilibus; & ut ait S. Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 11. *in nullo nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colliguntur:* quia nimirum in nullo nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquam conflando societatem. Ergo vera Christi Ecclesia non potest non esse visibilis; ita ut vel sit aliquid visibile & palpabile, vel non sit Ecclesia.

3. denique vera Christi Ecclesia est collectio hominum inter se colligatorum per externam fidei christianæ professionem, & eorumdem Sacramentorum participationem sub legitimorum pastorum externo regimine. Atqui collectio hominum sic inter se colligatorum non potest non esse visibilis & conspicua; cum sit collectio hominum inter se colligatorum signis externis & sensibilibus. Ergo, &c.

Obj. 1. Ex S. Augustino; vera Christi Ecclesia est invisibilis: nam juxta illum, vera Christi Ecclesia componitur ex solis justis, Ergo, &c. R. neg. ant. quod intolerabiliter falsum est; cum passim veram Ecclesiam visibilitatem contra Donatistas probet & inculcet S. Doctor. Ad prob. R. juxta S. Doctorem, Ecclesiam Christi, propriè & strictè loquendo, componi ex solis justis, non solum per internum charitatis vinculum connexis spiritaliter, sed insuper per ejusdem fidei professionem & eorumdem sacramentorum participationem sub legitimorum pastorum regimine corporaliter conjunctis inter se, & cum multis malis quibuscum hac corporali conjunctione faciunt unum corpus morale & politicum, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi, quæ proinde sensibilis est & palpabilis; quamvis non omnes moralis illius & politici corporis, quod boni cum malis per corporalem cum illis conjunctionem faciunt, partes non pertineant ad Ecclesiam, ut membra componentia; sed alia, nempe boni, ad eam pertineant ut membra componentia; alia verò, nempe mali, ut membra purè adhaerentia: atque ita non omnes moralis illius corporis, &c. partes pertineant ad Ecclesiam in recto, sed alia, nempe boni, in recto pertineant. alia verò, nempe mali, in obliquo tantum.

Amplius. Juxta S. Doctorem, soli justii propriè componunt Ecclesiam. At simul, juxta eundem, ii omnes sunt in & de Ecclesia, alii quidem, ut membra viva, si sunt boni, alii verò ut membra mortua & arida, si mali sunt, qui per externam ejusdem fidei christianæ professionem, & eorumdem sacramentorum participationem sub externo legitimorum pastorum regimine, inter se colligati sunt. Ergo, juxta S. Doctorem, collectio hominum sic sensibilibus & corporaliter inter se colligatorum, complectitur omnia veræ Ecclesiae membra, tam viva quam mortua, tam componentia quam purè adhaerentia. Ergo, quod idem est, juxta S. Doctorem, talis hominum collectio est; vera Christi Ecclesia cum suis membris mortuis & purè adhaerentibus, est aliquid sensibile & palpabile; cum talis hominum collectio sit sensibilis & palpabilis; & qui ingreditur hanc collectionem, ingreditur veram Ecclesiam. Qui manet in hac collectione, manet in vera Ecclesia. Qui separat se, aut separatur ab hac collectione, à vera Ecclesia separatur se, aut separatur. Denique qui hanc collectionem digito monstrat, digito monstrat veram Christi Ecclesiam.

At inquit. Qui digito monstrat hanc collectionem, non monstrat justos, ex quibus componitur vera Christi Ecclesia. Ergo non monstrat veram Christi Ecclesiam. R. dist. ant. Non monstrat justos distinctè, & separatim à malis, qui etiam sunt in & de vera Christi Ecclesia, C. ant. Non monstrat justos confusè, & si-

& simul cum malis, &c. N. ant. vel, si vis, dist. sic. Non monstrat iustos solos, C. ant. Non monstrat iustos simul & malos, cum iustis corporaliter colligatos per externam ejusdem fidei professionem, &c. N. ant. & dist. conf. Ergo non monstrat veram Christi Ecclesiam separatim à membris ejus mortuis & purè adhaerentibus, C. conseq. Non monstrat veram Christi Ecclesiam conjunctim cum membris ejus mortuis, & purè adhaerentibus, N. conseq.

Obj. 2. cum hæreticis, varios Scripturæ textus, quibus invisibilem esse veram Ecclesiam probare conantur; ut illud Hier. c. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et illud Luc. c. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Et illud Joan. c. 4. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Et illud Hebr. cap. 12. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem . . . sed accessistis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, celestem Jerusalem.* Et illud 1. Petri c. 2. *Et ipsi tanquam lapides vivi superedificamini (lapidi vivo, qui Christus est) domus spiritualis . . . vos autem genus electum (à Deo) regale sacerdotium, gens sancta.*

R. ad 1. ibi prænnunciari abundantiam gratiarum christianis dandam, & eximiam eorum, licet non omnium, sanctitatem futuram. Ad 2. ibi per regnum Dei intelligi gratiam, vel ipsum Christum auctorem gratiæ; & tunc sensum esse: Christus jam advenit, & præfatus est. Ad 3. Christum ibi nihil aliud significare vellet, quam christianos Deum esse culturos, non cultu merè externo, ut faciebant Judæi, sed cultu interno, & cum sincero affectu ei placendi.

R. ad 4. ab Apostolo montem Sinai appellari montem tractabilem seu corporeum, Ecclesiam verò Christi montem Sion, seu montem spiritualem; quia in lege Mosaica servantibus illam proposita fuit merces temporalis & terrena; in Ecclesia verò Christi, legem novam servantibus aeterna & spiritualis merces proponitur. Item ab Apostolo Ecclesiam Christi vocari civitatem Dei viventis, quia non ab homine mortali, sed à Deo vivo & vero mirabiliter condita, mirabiliter gubernatur & conservatur. Item ab Apostolo Ecclesiam Christi nominari celestem Jerusalem, quia non solum homines viatores, sed etiam comprehensores cum beatis Angelis complectitur, ut patet ex contextu.

R. ad 5. Apostolum alloqui Christianos, supponendo eos & exterius & interius tales esse, quales exigit christiana professio, adeoque iustos esse & sanctos. Iustus autem & sanctis convenire ea omnia, quæ hic christianis attribuit Apostolus clarum est. Sed quid inde? Nam præter eos, qui in Ecclesia Christi velut lapides vivi superedificantur Christo lapidi vivo, & sic quandam domum spiritualem constituunt, cujus fundamentum est Christus; sunt & alii, injusti scilicet & peccatores, cum iusti & sancti per ejusdem fidei professionem, & eorundem sacramentorum participationem corporaliter uniti, qui in Ecclesia Christi sunt, & de ea sunt. Unde cum ad hoc, ut quis in & de Ecclesia Christi sit, non requiratur iustitia & sanctitas, aut quid aliud merè internum & insensibile, sed sufficiant signa quædam externa & sensibilia; Ecclesiam Christi visibilem esse & sensibilem negare stultum est.

Porro ad duos posteriores textus, in quibus videtur esse major difficultas, & alios similes, si qui sunt, responderi potest breviter, ad mentem S. Augustini, ex illis aliud non posse colligi, quam solos iustos pertinere ad Ecclesiam Christi, ut membra componentia. Unde sequitur tantum Ecclesiam Christi, sumptam præcisè secundum membra sua viva & componentia, non esse visibilem: quoniam enim sunt verè iusti & sancti, videre non possumus. At verò, quod sufficit, si sumitur totaliter, hoc est secundum membra sua, tam mortua quam viva, tam purè adhaerentia, quam componentia, planè visibilis est: quia ut quis in ea & de ea, hoc modo sumpta, sit, satis est

Simonnes Theol. Tom. II.

externa christianæ fidei professio; cum communione sacramentorum sub regimine legitimorum pastorum, quæ omnia sensibilia & visibilia sunt.

Obj. 3. cum Lutero, illud Symboli apostolici, *Credo sanctam Ecclesiam.* R. nos videre & credere. Videmus hanc hominum multitudinem, quæ est sancta Ecclesia, & eam esse sanctam Ecclesiam, 1. cognoscimus evidenter per motiva credibilitatis, saltem collectivè sumpta, quibus totidem, characteribus insignitur, & à quibus, saltem collectivè sumptis, habet evidentiam magnam moralem, imò & evidentiam physicæ æquivalentem, quod sit sancta Ecclesia. 2. Eam esse sanctam Ecclesiam, fide divina credimus propter divinam revelationem nobis credibiliter propositam. Sic Deum existere cognoscimur evidenter per creaturas, saltem collectivè sumptas, & credimus fide divina, quia ipse nobis existentiam suam revelavit credibiliter.

ARTICULUS II.

Utrum Ecclesia visibilis sit perpetua.

Sensus questionis est, utrum Ecclesia visibilis à tempore Christi & Apostolorum, aliquando defecerit, aut defectura sit. Ecclesiam visibilem deficere posse, & aliquando deficere, docet Calvinus in sua præfat. institut. ad Regem Gall. *Nos contra*, inquit, *asserimus . . . Ecclesiam nulla apparente forma constare posse . . . Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur.* Et inferius: *Permittamus hoc Domino, ut quando ipse solus novit qui sui sint, interdum etiam Ecclesia sua exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat . . . Alti tenebris immergi passus est (homines,) ut nulla vera Ecclesia facies extaret.* Quibus verbis aperte significat, si Ecclesia visibilis deficiat, siue non, manere semper invisibilem Ecclesiam, quam à visibili distinguit, & solam verè esse Ecclesiam Dei vult.

Idem cum Calvino tenent alii ejusdem ætatis hæretici; nec mirare: nam si vera Dei Ecclesia perpetuò visibilis est, illis actum est: hoc ipso enim convincuntur à vera Dei Ecclesia recessisse, adeoque non fideles esse & christiani, sed veri Apostata: Ecclesiam enim Dei, quæ à tempore Apostolorum usque ad Lutheri & Calvinii tempora visibilis perduravit, aliam præter Romanam Ecclesiam assignare non possunt.

Hæc posteriorum temporum hæreticis præverant Donatista in Africa, qui, ut refert S. Augustinus lib. de hæ. num. 69. contendebant *Ecclesiam Christi* (visibilem scilicet) propter crimina *Cacilianii*, seu vera, seu quod magis iudicibus apparuit falsa, de toto terrarum orbe periisse, ubi futura promissa est, atque in Africa Donati parte remansisse, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extinctam. Quo pacto, ut notat ibidem S. Doctor, cum primum propter *Cacilianum*, contra suam voluntatem ordinatum *Ecclesia Carthaginiensis* Episcopum schisma fecissent, obicientes ei crimina non probata, & maxime quod à traditoribus divinarum Scripturarum fuisset ordinatus; postea causa cum eo dicta atque finita, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, in hæresim schisma verterunt.

RESPONSIO.

Vera Christi Ecclesia perpetuò visibilis est: ita ut esse visibilis nunquam desierit, aut desitura sit usque ad finem mundi.

Prob. ex veteri testamento. Nam Isaia c. 61. legitur: *Fœdus perpetuum feriam eis . . . germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* 1. Caput citatum totum est de Ecclesia à Christo instituenda, ut manifestum est ex c. 4. Lucæ, ubi capitis citati initium de adventu suo interpretatur Christus. 2. In capite citato agitur de Ecclesia visibili, ut patet ex his verbis: *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, &c.* quæ verba cadere non possunt in

Ecclesiam invisibilem. 3. Ecclesie de qua ibi agitur, promittitur perpetuitas. Ergo in citato Isaie capite perpetuitas promittitur Ecclesie Christi visibilis. Quod autem Ecclesie de qua ibi agitur, perpetuitas promittitur, ex his verbis liquet: *Fœdus perpetuum feriam eis.* Ergo, &c.

Præterea Danielis c. 2. legitur: *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit æternum.* Hic autem Daniel loquitur, 1. de regno usque mundi consummationem perduraturum, ut ex ejus verbis manifestum est. 2. Per regnum illud sic perduraturum, intelligit regnum Christi in terris, ut est extra omnem controversiam; & per regnum Christi in terris, Ecclesiam ejus; non enim aliud est in terris Christi regnum præter ejus Ecclesiam. 3. Per regnum illud intelligit Ecclesiam Christi, non invisibilem, sed visibilem: nam Ecclesia invisibilis non est regnum: regnum enim est corpus morale & politicum, sensibile & palpabile; est multitudo hominum se invicem agnoscens, certis legibus externis inter se sub unius principis æterno regimine colligatorum; & dicere quoddam ex aliquot hominibus dispersis, & sibi invicem ignotis, constari possit regnum, insanite est. Ergo loco Danielis citato, Ecclesie Christi visibilis perpetua usque ad mundi consummationem duratio prænunciatur.

Prob. ex novo testamento. Nam Matth. c. 16. dicit Christus Apostolorum Principi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porte inferi non prævalent adversus eam.* Ibi Christus loquitur, 1. de Ecclesia sua: *Ædificabo Ecclesiam meam.* 2. Loquitur de Ecclesia sua visibili; loquitur enim de Ecclesia, cujus caput visibile a se constitutum iri Petrum promittit. 3. Expresse asserit adversus hanc suam Ecclesiam, portas inferi nunquam esse prævalituras. At prævalerent, si aliquando deficeret. Ergo nec defecit, nec defectura est unquam. Eodem pertinet illud ejusdem Matth. c. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quibus verbis Christus promittit se absque ulla intermissione usque ad finem mundi adfuturum Ecclesie visibili. Ergo Ecclesia visibilis subsistet absque ulla intermissione usque ad finem mundi: hoc enim vel promittunt, vel saltem aperte supponitur verba Christi.

Nec dic, verba illa Christi dirigi ad Ecclesiam invisibilem, non ad visibilem: nam verbis illis Christus alloquitur Apostolos, & alios discipulos suos, qui visibilem constituiebant Ecclesiam; & quia non erant permansuri usque ad finem mundi, in eorum quoque persona alloquitur successores eorum, qui visibiliter eis succedentes usque ad finem visibilem Ecclesiam erant continuaturi.

Præterea sic loquitur Apostolus Ephes. c. 4. *Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fide, & agnitionis Filii Dei.* Hic Apostolus dicit à Christo instituta esse ministeria pastorum & doctorum, in Ecclesia permanura, donec electorum numerus impleatur. At ministeria pastorum & doctorum manere non possunt, nisi maneat Ecclesia visibilis: non enim ejusmodi ministeria permanentes esse possunt, nisi semper sint pastores & oves, se invicem agnoscens, nec possunt esse pastores, & oves se invicem agnoscens, nisi in Ecclesia visibili; adeoque ut semper sint pastores & oves, & semper se invicem agnoscant, necesse est ut semper maneat Ecclesia visibilis. Ergo Ecclesia visibilis permanura est, donec impleatur numerus electorum, proindeque usque ad mundi consummationem.

Prob. auctoritate S. Augustini enarratione 2. in psal. 101. ubi contra Donatistas sic loquitur: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, perit. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem*

vocem! Illa non est, quia tu in illa non es: Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis: Hanc vocem abominabilem & detestabilem . . . prævidet spiritus Dei, & tanquam contra illos cum annunciarer unitatem, in conveniendo (inquit) populos in unum & regna, ut serviant Domino. His autem postremis verbis, In conveniendo, &c. Scripturam prænunciare Ecclesiam visibilem, manifestum est: hæc enim postrema verba in Ecclesiam invisibilem cadere non possent, quis non videt: Unde manifestum est, S. Augustinum hic pro perpetuitate Ecclesie visibilis pugnare contra Donatistas, qui impudenter asserbant eam de toto terrarum orbe periisse excepta Africa in parte Donati.

Ibidem, ad hæc psalmi verba, *Exiguitatem dierum meorum annuncia mihi*, sic Ecclesiam contra Donatistas loquentem inducit: *Quid est quod perdidit me perisse contendunt; Certe hoc dicunt, quia fui, & non sum, annuncia mihi exiguitatem dierum meorum . . . quandiu ero in isto sæculo annuncia mihi, propter illos qui dicunt, Fui, & jam non est . . . Quid est hoc, Exiguitatem dierum meorum annuncia mihi? Et annunciat, nec vacua fuit vox ista. Quis annunciat mihi nisi ipsa via? Quomodo annunciat? Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi. Tum post multa, sic concludit S. Doctor: *Ego usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus, & ipsa est exiguitas dierum, quia exiguum est omne quod finitur, ut jam in æternitatem ab ista exiguitate transeat.**

Nec dic iterum, S. Doctorem hic pugnare pro Ecclesia invisibili. Nam 1. pugnat pro Ecclesia, cui dictum est: *Ecce ego vobiscum sum*, &c. At hoc dictum est Ecclesie visibili, non invisibili, ut supra ostendimus.

2. Pugnat pro Ecclesia, quæ congregavit populos in unum, & regna, ut serviant Domino: hæc enim ibidem habet S. Doctor: *Andite (Donatistæ) quid dicat Ecclesia. Quæ Ecclesia? Quæ congregavit populos in unum. Quæ Ecclesia? Quæ congregavit regna ut serviant Domino. Mota vocibus vestris, & falsis opinionibus vestris, querit à Deo, ut exiguitatem dierum suorum annunciet sibi & invenit Dominum dixisse: Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi. At non invisibilis, sed visibilis Ecclesia congregavit populos in unum, & regna ut serviant Domino.*

3. Pugnat pro Ecclesia, quam epist. 146. contra Donatistas dicit esse Ecclesiam in sole positam, hoc est, in manifestatione omnibus notam usque ad terminos terre. Item tract. 1. in epist. Joannis, esse montem illum magnum, qui implevit universum orbem terrarum; montem quem digito ostendimus montem paratam in cacumine montium; montem super cacumina omnium montium existentem; montem quem non vident Donatistæ, quia videre nolunt; civitatem, quæ non potest abscondi, quia supra montem constituta est. Pugnat ergo S. Doctor pro Ecclesia maxime visibili.

4. denique pugnat pro Ecclesia, quam Donatistæ aiebant de toto terrarum orbe periisse contagione communionis cum Cæciliano initæ & retentæ, seu quia Cæcilianum, quamvis, ut ipsi volebant, gravissimum criminum reum innocentem pronunciarat. At non invisibilis, sed visibilis Ecclesia absolvit Cæcilianum: Pontifex enim & Episcopi, qui Cæcilianum absolverunt, cum reliquis fidelibus eis adhaerentibus, eorumque judicio acquiescentibus, profecto non invisibilem, sed visibilem, constituebant Ecclesiam. Ergo Sanctus Doctor pugnat hic pro perpetuitate visibilis Ecclesie, & hanc perpetuitatem negantium vocem appellat impudentem, abominabilem, detestabilem, presumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, precipitem, perniciosam, addere potuit, & hæreticam: nam ut ipse ait in lib. de hæc. Donatistæ schisma in hæresim verterunt, asserendo Ecclesiam visibilem de toto terrarum orbe periisse.

Prob.

Prob. ratione, visibilis Ecclesia Christi petire potest, certe quia potest deficere à vera fide: quandiu enim in verâ fidei professione perseverabit, tandiu non poterit non esse vera Christi Ecclesia. Unde multo ante Lutheri & Calvini tempora, Ecclesiam Christi visibilem defuisse volunt, quia volunt eam multo ante tempora illa à vera fide aberrasse. Atqui visibilis Ecclesia Christi non potest à vera fide deficere, neque ex toto, neque ex parte aliquod falsum dogma tenendo ut verum, aut verum aliquod dogma rejiciendo ut falsum. Ergo, &c. Minor probabitur duobus sequentibus articulis, pro quibus

Nota. Cum quaeritur, utrum Ecclesia visibilis errare possit in fide, quaestio non proponitur de aliqua parte Ecclesiae: Certum enim est aliquam Ecclesiae partem errare non posse in fide, ut patet ex Ario, Macedonio, Nestorio, & aliis tum anterioribus, tum posterioribus haesiarchis, iisque omnibus, qui cum illis defecerunt. Proponitur itaque quaestio de universa Ecclesia visibili, quo nomine universae Ecclesiae intelligi potest duplex universitas nempe universitas fidelium, hoc est, tota christianorum collectio, ex pastoribus & ovibus constans, & universitas pastorum, hoc est, tota episcoporum multitudo, quae dicitur universa Ecclesia repraesentativè. De hac igitur utraque universitate duobus sequentibus articulis quaeremus, utrum possit errare in rebus ad fidem pertinentibus.

ARTICULUS III.

Utrum universitas fidelium errare possit in rebus ad fidem pertinentibus.

RESPONSIO.

Universitas fidelium errare non potest in rebus ad fidem pertinentibus, siue earum fides sit absolute ad salutem necessaria, siue non; siue in Scripturis expresse contineantur, siue non: ita ut quicquid fideles tanquam de fide tenent, non possit non esse verum, & de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam Isaia cap. 54. legitur: Non li timere, quia non confunderis, neque erubescas. Dominabitur tui, qui fecit te. Et Matth. c. 16. Portae inferi non prevalebunt adversus eam. Et ejusd. cap. ult. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Et Ephes. cap. 1. Ipsum (Christum) dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius. Et eadem epist. c. 4. Unum corpus & unus spiritus. Et 1. ad Timoth. c. 3. Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.

In his omnibus textibus agitur de Ecclesia visibili. Nam 1. Isaia manifestè loquitur de Ecclesia à Messia Christo instituenda. At Christus non invisibilem, sed visibilem Ecclesiam instituit. Item loquitur de Ecclesia, ad quam convertendi erant gentiles: sic enim ibidem Ecclesiam alloquitur Propheta: Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ad dexteram enim ad sinistram penetrabis, & semen tuum gentes hereditabit. Et inferius: Ecce accola veniet, quia non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi. At gentiles conversi sunt non ad visibilem Ecclesiam, sed ad invisibilem. 2. Christum apud Matthaeum primo loco de Ecclesia visibili loqui, & secundo eam alloqui, supra ostensum est. 3. Quod Apostolus Ecclesiam visibilem intelligat locis citatis, satis liquet ex ultimo: de eadem enim illa Ecclesia ubique loquitur, in qua conversari poterat Timotheus. Timotheus autem conversari non poterat nisi in Ecclesia visibili: non enim poterat conversari in Ecclesia, nisi eam nosset, nec eam nosse poterat, nisi esset visibilis & conspicua. His praesuppositis,

Jam sic argumentor. In laudatis Scripturae textibus agitur de Ecclesia visibili. Ergo, quod negari non potest, de Ecclesia visibili, sumpta saltem pro universitate fidelium, sumpta saltem pro universitate fidelium, errare non potest in rebus ad fidem pertinentibus.

Simonet Theol. Tom. II.

stare fidelium. Ergo Ecclesia visibilis, sumpta pro universitate fidelium, nunquam potest errare in fide. Nam si quando in fide erraret, vel falsum dogma ut verum amplectendo, vel verum dogma ut falsum repudiando, confunderetur & erubesceret, nec Deus semper ei specialiter assisteret, quod est contra primum textum. Item portae inferi praevalerent adversus eam, nec Christus esset cum ea omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, quod est contra secundum & tertium. Item, quod est contra quartum & quintum, erga illam nec Christus officio capitis, nec Spiritus officio rectoris fungeretur: ad hoc enim utrumque officium ritè fungendum requiritur, ut saltem Ecclesiam non permittatur Deum falso cultu colere: at Deum falso cultu coleret, si coleret eam falsa fide. Item, quod est contra ultimum, non esset columna & firmamentum veritatis: nam è contra ipsa in errorem lapsa, in errorem induceret: imò cum ejus autoritate superior, aut etiam par in terris nulla alia possit esse autoritas, cum ea errante non posset non errare, quicumque prudenter sese gerere veller.

Prob. 2. autoritate S. Augustini lib. 1. de Symbolo c. 5. Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes haereses pugnans: pugnare potest, expugnari non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite praecisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portae inferorum non vident eam. Hic S. Doctor loquitur, 1. de Ecclesia visibili: loquitur enim de Ecclesia, ex qua exierunt omnes haereses. Omnes autem haereses exierunt de Ecclesia visibili, non de visibili, ut docent ipsimet novatores. 2. de Ecclesia visibili, sumpta pro universitate fidelium: nam loquitur de Ecclesia catholica, adeoque de tota multitudine Christianorum, ex pastoribus & ovibus coalescente.

Dicit igitur S. Doctor, Ecclesiam visibilem, sumptam pro universitate fidelium, esse Ecclesiam sanctam; contra omnes haereses pugnare expugnari non posse; immobiliter manere in radice sua, & portas inferorum non posse eam vincere. Ergo juxta S. Doctorem, Ecclesia visibilis, sumpta universitate fidelium, non potest errare in fide.

Prob. conseq. Nam si posset errare in fide, posset non esse sancta: hac enim sanctitas potissimum consistit in professione dogmatum, quae nihil non sanctum continet, hoc est, nihil non verum quoad doctrinam, sicut & nihil non justum quoad praeccepta: unde Symbola dicendo Ecclesiam sanctam, dicunt eam à recta fide nullatenus deficere posse. Item posset non pugnare contra omnes haereses, quia posset non pugnare contra omnes errores. Item expugnari posset, quia posset in errorem induci. Item posset divelli à radice sua, hac enim radix est fides recta. Item posset eam vincere inferorum portae, ut per se patet. Ergo, &c.

Libro 1. contra Cresconium c. 33. sic ait S. Doctor: Proinde quavis hujus rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universe jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falsi metuit hujus obscuritate quaestione, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. Hic S. Doctor manifestè loquitur de Ecclesia visibili: nam loquitur de Ecclesia, quam consulere possumus, & Ecclesia illa, quam consulere possumus, visibilis est & conspicua. Praeterea loquitur de Ecclesia visibili, sumpta saltem pro universitate fidelium: ut patet ex his verbis: Cum hoc facimus quod universe jam placuit Ecclesiae. Ergo, juxta S. Doctorem, Ecclesia visibilis, sumpta saltem pro universitate fidelium, errare non potest in rebus ad fidem pertinentibus.

Prob. conseq. Nam sensus verborum Sancti Doctoris est: Quavis haereticos baptizatos ab haereticis,

cum ad Ecclesiam veniunt, non esset rebaptizandos, probare non possumus ex Scripturis sacris; nihilominus Scripturarum sacrarum tenemus veritatem, eos non rebaptizando; quia in hoc sequimur sensum & praxim universae Ecclesiae, cujus auctoritatem commendat Scriptura sacra, expressè asserendo eam in rebus ejusmodi errare non posse. Quoniam igitur Scriptura sacra fallere non potest, qui hujus de baptismo ab haereticis collato quaestioni ambiguitate falli meruit, consulat hanc Ecclesiam, quam sine ulla ambiguitate demonstrat, & cujus proinde auctoritatem commendat sacra Scriptura: hujus enim Ecclesiae sensum & praxim sequendo, falli non poterit, quia in rebus ad fidem pertinentibus falli non potest haec Ecclesia, quam clarè demonstrat, & cujus auctoritatem commendat Scriptura, quae fallere non potest.

Libro contra epist. fundamenti c. 5, dicit: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia catholica commoveret auctoritas*. Ibi loquitur Augustinus de Ecclesia visibili; cum loquatur de Ecclesia, cujus auctoritate commovebatur. Nemo autem commoveri potest auctoritate Ecclesiae, quam non videt. Item loquitur de Ecclesia visibili, sumpta saltem pro universitate fidelium, ut patet ex terminis. Augustinus igitur firmissimè quidem & absque ulla planè hesitatione credebatur vera esse omnia, quae in Evangelio continentur; & sic credebatur, quia ad sic credendum promovebatur auctoritate universalis Ecclesiae, tenentis tot libros cum tot capitulis & versiculis, esse verbum Dei scriptum. Ergo firmissimè credebatur, hac in re, utpotè ad fidem pertinente, errare non posse universam Ecclesiam, seu universam fidelium multitudinem, cujus alioquin auctoritate minimè permoveri potuisset.

Epist. 118. ad Januarium, Januario ipsum consulenti duplici sacrificio, feria quinta majoris hebdomadae offerendo, his responderet verbis: *Ad haec itaque ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divina Scriptura praescribit auctoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus... Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia (hoc est, universa fidelium multitudo) nam hoc quin ita faciendum sit disputare insolentissima insania est*. Si quid hac in re, de qua me interrogas, inquit S. Doctor, divina Scriptura praescribit, quin ita faciendum sit, ut legimus, dubitandum non est. Similiter si quid in hac eadem re frequentat universitas fidelium quin ita faciendum sit, ut videmus ab ea frequentari, dubitandum non est: quia contra sensum & praxim universitatis fidelium disputare velle insolentissima insania est. Sicut enim divina Scriptura fallere non potest, ita nec falli potest universitas fidelium in re ad fidem pertinente. Hic manifestè S. Doctor universitatis fidelium in rebus ad fidem pertinentibus auctoritatem aequiparat auctoritati divinae Scripturae, & rectè quidem quia utraque divina est, vel, si vis, quia auctoritas universitatis fidelium fundatur in auctoritate divinae Scripturae, à qua ut à vera fide indefectibilis fidelium universitas commendatur.

Denique sic loquitur S. Doctor lib. de utilitate c. 17. *Dubitemus nos ejus Ecclesiae condere gremio quae... frustra haereticis circumlatrantibus... culmen auctoritatis obtinuit: cui nolle primas dare, vel summam profectò impieratis est, vel praecipitis arrogantia*. Haec autem Ecclesia, cujus gremio nos condere debemus, proculdubio universalis Ecclesia, seu universitas fidelium, quae visibilis & conspicua est, quam cum dicit Augustinus culmen auctoritatis obtinere, & nolle primas ei dare, vel summam impieratis esse, vel praecipitis arrogantia, manifestè significat eam talem esse, ut in materia fidei & morum, falli non possit, adeoque nec fallere.

Prob. 3. ratione. Si universitas fidelium posset errare in fide, fieri posset ut sensum fides ejus omnino corrumperetur; & sic fieri posset, ut tandem aliquando falsam ex omni parte fidem profiteretur, adeoque falso ex omni parte cultu Deum coleret. Atqui hoc manifestè repugnat Symbolis, Ecclesiam, seu fidelium uni-

versitatem vocantibus Sanctam: cum enim eam vocant Sanctam, sanctitatem ei attribunt non qualicumque modo, sed attribunt ut proprietatem ab ea prorsus inseparabilem. Ergo, &c.

Nec dic cum Calvino, universitatem fidelium non posse quidem errare in rebus, quarum fides necessaria est ad salutem, sed posse in aliis omnibus, quarum fides ad salutem non requiritur. Nam cum ex rebus à Deo revelatis paucae sint, quarum fides explicata ad salutem necessaria sit, saltem fieri posset, ut sensum Ecclesiae fides maxima ex parte corrumpere-tur, quod sanctitati ejus manifestè repugnat. Præterea, hæc responsio evidenter contradicit Scripturis à nobis supra allegatis, quae universitatem fidelium nulla in re ad fidem pertinenter, errare posse, apertè significant. Contradicit etiam Augustino: nam dicit v.g. universitatem fidelium errare posse circa validitatem baptismi ab haereticis collati, & tamen explicite credere validum esse baptismum ab haereticis collatum necessarium non est ad salutem, ut patet B. Cypriano, qui non credit esse validum, imò validum non esse, positivè asseruit.

Præterea, sic argumentor contra Calvinum. Positivè credere, quòd extent aliqua Scriptura divina, adeoque positivè credere, quòd libri veteris & novi testamenti sint Scriptura divina, non est absolute necessarium ad salutem: nam etiam tempore S. Irenæi apud barbaras nationes multae particulares Ecclesiae Scripturas divinas ignorabant, solisque traditionibus utebantur, & tamen quòd idcirco in illis Ecclesiis nemo salvari potuerit dicere absurdissimum esset. Ergo si universitas fidelium errare potest in rebus, quarum positiva fides ad salutem necessaria non est, errare potest circa existentiam Scripturarum divinarum, credendo aliquas extare, etiam dato, quòd nullae extent; credendo libros veteris & novi testamenti esse Scripturam divinam, etiam dato quòd non sint Scriptura divina. Ergo si universitas fidelium errare potest in rebus, quarum positiva fides ad salutem necessaria non est, incerti sumus utrum extent aliqua Scriptura divina, utrum libri veteris & novi testamenti sint Scriptura divina, non enim habemus aliam auctoritatem universitatis fidelium auctoritate majorem, quâ certificari possumus de existentia Scripturarum divinarum, & divinitate librorum veteris & novi testamenti. At incertum esse, quòd extent aliqua Scriptura divina, quòd libri veteris & novi testamenti sint Scriptura divina, ne Calvinus ipse admitteat. Ergo, &c.

Obj. Synagoga Judæorum saepe defecit à fide. Ergo etiam ipsa Christi Ecclesia visibilis deficere potest. R. 1. Esto ant. neg. conseq. Nam à synagoga Judæorum non valet ad Ecclesiam Christi visibilem: Judæorum enim synagoga non erat universalis Ecclesia, sed solum illius pars: unde errante & deficiente Judæorum synagoga, non idcirco errasset & defecisset universalis Ecclesia. At Christi Ecclesia visibilis est universalis Ecclesia: unde ea errante & deficiente, erraret & deficeret Ecclesia universalis, & nulla amplius esset in terris Ecclesia Dei, quod saltem, suppositis Dei promissionibus, contingere nullatenus potest. Præterea, Christi Ecclesia visibilis habet expressas de sua infallibilitate & stabilitate promissiones, quales nunquam habuit synagoga Judæorum: ubi enim de synagoga Judæorum dictum est v.g. *Porta inferi non praevalent adversus eam. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*? Sed ad abundantiam, R. 2. neg. ant.

Probabis. Tota Synagoga ante adventum Messiae defecit, 1. Tempore Moysis, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum aureum. 2. Tempore Eliæ, quando præter eum nullus alius remansit fidelis, ut ipse testatur lib. 3. Reg. c. 19, ubi ait: *Derelictus sum ego solus*. 3. Tempore Isaïæ, ut ipse apertè significat cap. 1. v. 4. 5. & 6. Idem dic de tempore Hieremias, ut colligitur ex c. 2. v. 13. Ergo, &c.

R. neg. ant. quoad omnes partes. 1. itaque non defecit tota synagoga tempore Moysis, quando Isra-

lites,

litæ, Aaron duce, vitulum consilientem adoraverunt; tunc enim synagoga nec in capite, nec in toto populo defecit: nam non defecit Moyses, qui tunc solus erat caput synagoga, qui Aaron frater ejus nondum ad summum sacerdotium evectus erat: neque defecerunt Levitæ, ut patet ex cap. 32. Exodi, ubi hæc leguntur: *Stans (Moses) in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* Nullus igitur ex Levitis, qui erant vigintiduo millia, vitulum adoraverat.

2. Fallum etiam est, quod tota synagoga defecerit tempore Eliæ: cum enim Elias dicit: *Derelinquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, propheta tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus;* loquitur de decem tribubus, quæ suberant Regi Samariæ, & vocabantur Israel; præter quas erant alia duæ, quæ parebant Regi Hierusalem, & vocabantur Juda. In his autem duabus tribubus, tempore Eliæ, veram religionem stetit dubium esse non potest: cum tempore Eliæ regnarent in Hierusalem Asa & filius ejus Josaphat, ambo religiosi principes, ut liquet ex lib. 3. Reg. cap. 22. ubi de Josaphat dicitur, *Et ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea: secitque quod rectum erat in conspectu Domini.*

Præterea, quod dicit Elias, *Derelictus sum ego solus,* non in rigore metaphysico, sed moraliter accipiendum est, ut patet ex eodem cap. ubi dicitur: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum osculans manus.* Non exigua ergo pars decem tribuum Israel cum duabus aliis tribubus veram religionem profitebatur tempore Eliæ. Similiter, quæ ab Isaia & Juda dicuntur locis citatis, moraliter tunc debent, nec aliud significare volunt, quam suo tempore mores hominum valde depravatos fuisse, & magnam tunc in synagoga pravorum hominum multitudinem. Ex his patet falsitas tertiæ partis.

Dices. Lib. 2. Paralip. c. 15. dicitur: *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, absque sacerdote, doctore, & absque lege.* R. verba intelligenda esse, vel de regno Israel, non de regno Juda; vel potius de tempore post Messiam adventum futuro: jam enim à multis sæculis Judæi sunt sine Deo, sine sacerdote, sine doctore, & sine lege. Nam à multis sæculis Deum non colunt nisi falso & superstitioso cultu; sacerdotium Aaronicum abolum est, & abrogata lex Moisaica; nec doctores habent, sed impostores.

Dices. Saltem post adventum Messie tota synagoga defecit: nam tota cum suis cæremoniis expiravit. R. totam quidem post sufficientem Evangelii promulgationem & evulgationem defecisse, at non ita defecisse, quod veram fidem, quam antea profitebatur, dereliquerit, sed quia cum omnibus suis cæremoniis & sacrificiis repudiata est ut ancilla, & in ejus locum successit Christi Ecclesia ut sponsa, nunquam dimittenda, juxta illud Osee c. 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Hæc enim verba ad Christi Ecclesiam dirigi, patet ex contextu, & docent Concilia.

At inquit. Tota synagoga à fide defecit in passione Christi, quando judicavit esse reum mortis, & clamavit, *Crucifige eum.* R. falsum esse, quod tota synagoga Christum esse mortis reum judicavit, & clamaverit: *Crucifige eum;* non enim Judæi omnes sacerdotibus & senioribus populi consenserunt. Nam 1. multis Judæis, qui tunc versabantur Hierosolymis, graviter displicuit factum sacerdotum & seniorum populi. 2. Longè plures alii Judæi, tum in tota Judæa, tum in variis aliis orbis partibus degentes, quid tunc temporis circa Christum Hierosolymis ageretur, prorsus ignorabant, quique proinde cum sacerdotibus & senioribus populi de Christo interficiendo conjurare non poterant, & sic proculdubio permanebant in vera fide & religione.

Obj. 2. Tota Ecclesia visibilis à vera fide defecit tempore Antichristi, juxta illud Danielis cap. 9. *Deficiet hostia in sacrificium: & erit in templo abomi-*

natio desolationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Et illud Christi Luc. cap. 18. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Et illud Apostoli 2. ad Thessal. cap. 2. *Nisi venerit discessio primum: & revelatus fuerit homo peccati, &c.* Ergo, &c.

R. neg. ant. Nam tempore Antichristi multi quidem deficient à recta fide, at non omnes deficient. Ad 1. autem prob. R. Daniele loqui de cessatione sacrificii Judæorum, & desolatione templi Hierosolymitani. Ad 2. R. vel Christum loqui non de fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, qualis in paucis reperitur, & invenietur in paucissimis tempore Antichristi; vel solum velle paucos fore fideles Antichristi tempore; non tamen ita paucos, ut non sufficiant ad conflandam Ecclesiam. Ad 3. R. Apostolum ad summum intelligere defectionem plurimorum à fide non defectionem omnium.

Obj. 3. cum Calvino in præfat. Instit. Concilium Basileense generale deposuit Eugenium Papam IV. tanquam hæreticum, qui post solutionem Concilii iterum irrepsit in Sedem Romanam sine canonica electione; & ab hoc Eugenio nati sunt, quotquot postea fuerunt Papæ Cardinales, & Episcopi. Ergo saltem ab hoc tempore Ecclesia Romana desit esse vera Ecclesia; atque ita cum nulla alia fuerit Ecclesia visibilis, saltem ab eo tempore desit vera Ecclesia visibilis.

R. Calvino hic pro suo more naviter mentienti, Concilium Basileense, cum ausu nefario sententiam depositionis contra Eugenium protulit non fuisse generale Synodum, sed particularem. Nam tunc temporis, 1. nullus aderat Basileæ Legatus Pontificius: cum tamen Eugenius esset unicus & legitimus Pontifex, & ut talis receptus ab universa Ecclesia. 2. Aderant tantum Episcopi septem, quorum unus erat Cardinalis Ludovicus Arelatenis Archiepiscopus. At legitimus Pontifex, & ut talem ab universa Ecclesia receptum, deponi non potuisse à particulari Synodo, ea præsertim quæ septem tantum Episcopis constaret, extra omnem controversiam est. Certe, juxta canonem *Si quis* 15. q. 7. particularis Episcopus damnari non potest nisi in Concilio duodecim Episcoporum; & potuit summus Pontifex in septem Episcoporum Concilio? Nugæ.

Præterea: quod Concilium Basileense tunc temporis nec fuit, nec potuerit esse generale Concilium, demonstratur ex eo quod Concilium generale celebrari non possit sine autoritate summi Pontificis ut patet v.g. ex Chalcedonensi Synodo act. 1. ubi Dioscorus Alexandrinus Patriarcha inter Episcopos sedere prohibitus est, quia, ut ibidem ait Lucentius unus è legatis Apostolicæ Sedis, *cum personam judicandi non haberet præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine autoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Quare in medio residere justus est Dioscorus. Eugenius autem de Cardinalium, qui magno numero ei assisteant, consilio: antequam Basileenses ipsius depositionem molirentur, Basileensem conventum dissolvit, & Synodum Basileæ Ferrariam transtulit de plenitudine potestatis, legitimas ob causas, quarum una, eaque per se sola ad id sufficientissima, fuit Ecclesiæ latinæ cum Græca unio procuranda. Hac ergo translatione legitime facta, & quam legitime factum declaravit Ferrariensis Synodus sess. 1. non potuit postea Ludovicus Arelatenis cum suis sex Episcopis nisi illegitimam & schismaticam Basileæ agitare particularem Synodum.

Confirmatur. Anno 1439. quo Basileenses, adversus Eugenium rebelles, suam in eum meditati sunt & protulerunt sententiam, Synodus Ferrariensis ob pestem Ferrariæ grassantem translata est Florentiam, & ibi continuata atque absoluta, unde Florentinæ Synodi nomen accepit. Jam verò sic dico. Vel Synodus Florentina fuit generalis, vel non. Si Florentina Synodus fuit Concilium generale, Basileensis conventus nec fuit, nec potuit esse generale Concilium: alioqui possunt in Ecclesia simul esse duo Concilia generalia, locis diffisa, & sibi invicem contraria, quod est absurdum.

Quod

Quod si dicitur Synodus Florentina non fuisse Concilium generale, multo minus fuit, aut potuit esse conventus Basileensis. Nam si Florentina Synodus etiam in puncto unionis non fuit generale Concilium, quamvis in ea praesederit summus Pontifex, & adfuerint ex parte Latinorum Cardinales octo, Gradenfis Patriarcha, Hierosolymitanus Patriarcha latinus, Archiepiscopi sex, cum aliis supra quadraginta novem Episcopis; ex parte vero Graecorum septemdecim Metropolitae, quorum tres trium sedium Patriarchatum, Alexandrinæ scilicet, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ vices agebant, & Constantinopolitanus Patriarcha, quamquam ante Synodi exitum defunctus est; quomodo unus Cardinalis cum aliis sex Episcopis, reluctante legitimis ob causas summo Pontifice, generale Concilium constare potuit?

Porro hic pratermittendum non est, Amedæum Sabaudiae Ducem, quem Basileenses Antipapam sub Felicio V. nomine creaverant, aliquot post annis, adhortante Carolo Francorum rege, abdicato praetense pontificatu, se submisit Nicolao V. qui Eugenio successerat. Habemus igitur etiam hic certam legitimorum Pontificum successionem: Nam Eugenius IV. Martino V. Eugenio vero Nicolaus V. canonicè successit.

ARTICULUS IV.

Utrum Ecclesia visibilis, repræsentative sumpta, hoc est, universitas Pastorum seu Episcoporum, errare possit in fide.

RESPONSIO.

Universitas Pastorum seu Episcoporum non potest errare in fide: ita ut quidquid universitas Episcoporum tenet ut pertinens ad fidem, non possit non esse verum & de fide.

Prob. 1. Matth. c. ult. legitur: Euntes ergo docete omnes gentes. . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Hæc autem verba Christus, ut ex terminis manifestum est, dirigit ad Apostolos, & in eorum persona ad Episcopos, qui eis in Ecclesia visibili usque ad mundi consummationem successuri sunt. His igitur verbis Christus Episcopis Apostolorum successoribus imponit munus docendi fideles in Ecclesia visibili usque ad mundi consummationem; & ut semper bene doceant, promittit se eis semper specialiter ad futurum usque ad consummationem mundi.

Jam vero hæc specialis Christi ad semper rectè docendum assistentia, vel Episcopis sumptis singillatim, vel saltem omnibus simul & collectim sumptis, sive: quod idem, vel omnibus Episcopis distributivè, vel omnibus Episcopis saltem collectivè sumptis promittitur. Quidlibet autem horum dicatur, cum Christus promissis suis deesse non possit, semper sequitur universitati Episcoporum specialem Christi ad rectè docendum assistentiam nunquam esse defuturam: nam si singulis Episcopis promissa est hæc assistentia, à fortiori promissa est toti Episcoporum collectioni; quod si, ut verum esse toties hæcenus demonstravit experientia, hæc assistentia promissa est singulis Episcopis, saltem promissa est omnibus Episcopis collectim sumptis: cum enim promissa fuerit Episcopis, vel singulis singillatim sumptis, vel omnibus sumptis collectim promissa fuit, ut patet ex terminis. Ergo vel Christus ipse fallitur assistendo universitati Episcoporum, quod repugnat; vel universitas Episcoporum nunquam potest malè docere. Ergo universitas Episcoporum nunquam potest errare in fide: nam si erraret in fide, malè doceret.

Dices. Hæc verba, Et ecce ego vobiscum sum, &c. ad eos diriguntur, ad quos diriguntur illa, Euntes ergo docete, &c. At qui verba illa, Euntes ergo docete, &c. diriguntur ad Episcopos singulos, singillatim sumptos. Ergo & alia, Ecce ego vobiscum

sum, &c. ad Episcopos singulos, singillatim sumptos, diriguntur. Ergo gratis Christus dicitur, per illa specialem ad semper rectè docendum, & nunquam in fide errandum, assistentiam promittere; cum multi Episcopi, ut Paulus Samosatensis, Phorinus, Macedonius, Nestorius, &c. in fide erraverint, & malè docuerint.

R. Verba illa, Euntes ergo, &c. Docete, &c. dirigitur ad Episcopos singulos, singillatim sumptos, tum ad omnes Episcopos, sumptos simul & collectim: non enim tantum singulis & singillatim sumptis, sed etiam omnibus simul & collectim sumptis Episcopis munus docendi impositum est. Quare verba illa, Ecce ego vobiscum sum, &c. diriguntur tum ad singulos & singillatim sumptos Episcopos, tum ad omnes sumptos simul, & collectim, sed magno cum discrimine: nam per illa, singulis Episcopis singillatim sumptis promittitur assistentia, qua cum poterunt non errare in fide, nec malè docere, non quacum in fide nunquam erraturi sunt, & malè docturi: Episcopis vero omnibus, simul & collectim sumptis, promittitur assistentia, quacum non modò poterunt non errare in fide, nec malè docere, sed etiam re ipsa in fide nunquam erraturi, & malè docturi sunt.

Ratio disparitatis est, quia errante Episcopo particulari & malè docente, 1. necesse non est universam Ecclesiam errare, ut per se patet. 2. Nequidem necesse est errare particularem illam Ecclesiam, cui praestit Episcopus ille: nam Ecclesia illa particularis adhuc habet corpus pastorum, cui potest & tenetur adhaerere; & cui adherendo, etiam deviante Episcopo suo particulari, in recta fide permanebit. At si Episcoporum universitas erraret, & malè doceret, necesse esset universos fideles errare: nam praeter universitatem Episcoporum non sunt alii pastores, quos audire & sequi possint fideles. Errante igitur Episcoporum universitate, necessarid erraret universa Ecclesia visibilis, & sic universa Ecclesia visibilis deficeret, quod est contra expressam Christi promissionem, his contentam verbis: *Porta inferi non prevalebunt adversus eam.*

Prob. 2. Joan. c. 14. Christus sic loquitur: Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis. Et inferius: Paraclitus autem Spiritus Sanctus . . . vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Hic autem Christus non solum Apostolis suis, sed etiam Episcopis, eorum successoribus, ut patet ex his verbis, *ut maneat vobiscum in aeternum*, promittit Spiritum sanctum, atque ita Spiritum sanctum promittit Episcopis saltem simul & collectim sumptis, ut maneat cum eis in aeternum, hoc est, usque ad consummationem mundi, & usque ad consummationem mundi doceat illos omnia, & suggerat illis omnia quæ ad veram fidem pertinent, sicque eos ab omni contra fidem errore defendat usque ad mundi consummationem. Ergo nunquam universitas Episcoporum erratura est in fide: nam si quando erraret, vel quia non maneret cum ea Spiritus sanctus, vel quia aliqua ei non suggereret, quod utrumque adversatur promissioni Christi; vel denique quia ei etiam fallum quid suggereret, quod est impossibile: nam Spiritus Sanctus spiritus veritatis est, & spiritum veritatis docere fallum, manifestam involvit repugnantiam.

Prob. 3. 1. ad Timoth. c. 6. sic ait Apostolus: O Timothee, depositum custodi, devitas prophanas vocum novitates. Et 2. ad eundem c. 1. Formam habes sanctorum verborum, quæ à me audisti. . . Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Ergo Christus Episcopos instituit custodes depositi fidei, adeoque eatenus integrum manet illud depositum, quatenus custodiunt illud Episcopi. Illud autem Episcopi custodiunt rectè docendo, ut patet ex Apostolo. Ergo si omnes Episcopi errarent in fide, & malè docerent, hoc ipso periret illud depositum. Ergo si Episcoporum universitas à vera fide deficeret, & malè doceret, hoc ipso deficeret vera Christi Ecclesia: enim enim vera Christi Ecclesia sine vera fide

fide ejusque professione subsistere non possit, dissipato veræ fidei deposito, hoc ipso veram Christi Ecclesiam deficere necesse esset. Stat igitur vera Christi Ecclesia, quia depositum fidei fideliter custodit universalitas pastorum; & stabit vera Christi Ecclesia usque in finem, juxta illud Christi: *Porta inferi non prævalerunt adversus eam*; quia usque in finem depositum fidei fideliter custodiet universalitas pastorum; illud autem custodiet fideliter usque in finem, quia usque in finem, ad illud fideliter custodiendum, specialem habitura est sancti Spiritus, in ea perpetuo, ut aperte significat Apostolus, habitantis, omnemque veritatem docentis, assistentiam.

Prob. 4. Universalis Ecclesia non potest malè docere, cum sit *columna & firmamentum veritatis*, ut dicit Apostolus. Atqui universalis Ecclesia non docet, nisi per universalitatem Episcoporum, sicut non nisi per eam decernit. Ergo universalitas Episcoporum non potest malè docere. Atqui si deficeret à recta fide, malè doceret. Ergo universalitas Episcoporum non potest à recta fide deficere. Vel sic: Fides universalis Ecclesiae non potest non esse recta fides, alioquin universalis Ecclesia non esset columna & firmamentum veritatis. Atqui fides universalitatis Episcoporum est fides universalis Ecclesiae: cum enim Episcopi sint Ecclesiae pastores & doctores, fides universorum Episcoporum non potest non censi universalis Ecclesiae fides. Ergo fides universalitatis Episcoporum non potest non esse recta fides, adeoque universalitatem Episcoporum à recta fide deficere, possibile non est.

Prob. 5. Concilium generale confirmatum a Romano Pontifice, potest errare in fide. Ergo multò minus potest universalitas Episcoporum. *Prob. consequ.* Nam non potest generale Concilium errare in fide, vel quia repræsentat universalitatem pastorum, vel quia repræsentat universalem Ecclesiam. Si primum, universalitas Episcoporum Concilio generali, quia ipsam repræsentat, tribuit infallibilitatem, & sic juxta vulgatum illud axioma, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, à fortiori eadem infallibilitatis prerogativa gaudere Episcoporum universalitatem necesse est.

Si secundum, sic argumentor. Concilium generale non potest errare in fide, vel quia repræsentat Pastorum universalitatem, vel quia repræsentat universalem Ecclesiam, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, proindeque in fide errare non potest. Si primum: multò minus errare potest in fide ipsa Pastorum universalitas. Si secundum: cum ipsa universalitas Episcoporum multò melius & perfectius universalem Ecclesiam præsentet: sicut enim quilibet Episcopus particularem Ecclesiam, qui præest, repræsentat, ita omnes simul Episcopi perfectissimè repræsentant omnes simul Ecclesias particulares, ex quibus coalescit universalis Ecclesia. Ergo in fide errare multò minus potest Episcoporum universalitas.

Breviter. Si plenarii Concilii sententia est totius Ecclesiae consensus, ut dicit S. Augustinus lib. 1. de bapt. c. 18. & quia est totus Ecclesiae consensus, error obnoxia esse non potest, & idcirco finalis est, eique reluctari nefas est, ut ibidem aperte supponit S. Doctor; quantò magis universalitatis pastorum sententia consensus est totius Ecclesiae, & sic quantò minus potest esse error obnoxia.

Prob. denique 6. Si universalitas pastorum errare potest in fide, supponatur re ipsa errare in aliquo articulo. In hac suppositione, universalitas ovium vel sequeretur universalitatem pastorum, ei consentiendo; vel non sequeretur, ei dissentiendo. Si primum, universa Ecclesia errabit in aliquo articulo. Si secundum, universa Ecclesia secabitur in duas partes. Ergo si universalitas pastorum errare potest in fide, vera Christi Ecclesia potest deficere: quia universalitas pastorum errante in aliquo articulo, universa Ecclesia vel in aliquo articulo erraret, vel in duas partes scinderetur. & in utroque casu desineret esse vera Christi Ecclesia: Cum vera Christi Ecclesia sit collectio pastorum & ovium inter se per ejusdem & veræ fidei pro-

fessionem conjunctorum. Atqui vera Christi Ecclesia deficere non potest, ut superius demonstratum est. Ergo nec potest universalitas pastorum errare in fide.

Obj. In passione Domini summus sacerdos cum omnibus aliis sacerdotibus & senioribus populi defecit à vera fide. Item eodem tempore omnes Apostoli fidem amisserunt. *R. ad 1.* in lege scripta summum sacerdotem cum aliis sacerdotibus non habuisse privilegium non errandi circa fidem, nisi usque ad prædicationem Christi. Nam Christo præsentem & docente, illos in docendo populo errare non posse, necesse non fuit, parumque tunc obesse poterant illorum errores in fide. At quòd in lege nova universalitas pastorum nunquam in fide errandi, & semper bene docendi prerogativam acceperit, satis superque demonstratum est ex verbis ipsius Christi, & adhuc demonstrari potest ex discrimine Synagoga & Ecclesiae: nam illa ut ancilla repudianda erat: hæc verò ut sponsa nunquam est dimittenda, adeoque usque ad mundi consummationem permansura est; ad quod requiritur in universalitate pastorum privilegium infallibilitatis usque ad mundi consummationem.

R. ad 2. 1. tempore passionis Domini Apostolos fuisse episcopos non re, sed designatione tantum, & ita fuisse tantum partes materiales Ecclesiae, quæ errare possunt. Præterea non soli constituebant universalem Ecclesiam, sed solum erant pars illius exigua: unde etiam si omnes fidem amisissent, nihilominus steterit universalis Ecclesia; sicut adhuc steterit, tota contra fidem errante synagoga; quia synagoga non erat illa tota, sed tantum pars illius: tunc enim adhuc vigeat lex naturæ cum lege scripta, & utraque lex vigit usque ad diem Pentecostes; quo die, peccatis omnibus humanæ redemptionis mysteriis, Apostoli legem novam promulgarunt: Unde eò usque ex utriusque legis, Naturæ scilicet & Mosaicæ, cultoribus constitit universalis Ecclesia, quæ in die Pentecostes, abolitis & repudiatis illis legibus, constare cepit ex solis cultoribus legis gratiæ, hoc est, ex iis solis, qui veram Christi fidem profitentur, & Sacramenta ab eo instituta participant sub regimine legitimum pastorum. Hinc

Collige discrimen inter Apostolos pro tempore passionis Christi, & Episcopos eorum successores pro tempore promulgatæ legis Evangelicæ. Pro tempore passionis Christi potuerunt Apostoli omnes errare contra fidem, stante nihilominus universali Ecclesia, quæ tunc in eorum, qui veram fidem tam in lege naturæ, quam in lege scripta profitebantur, multitudine consistebat; à quibus Apostoli separando se per infidelitatem, sese ipsi abscidissent ab universali Ecclesia, non eam dissolvissent. At pro tempore promulgatæ legis Evangelicæ non possunt episcopi omnes à vera fide deficere, quin pereat universalis Ecclesia, ut à nobis demonstratum est. Quare cum Deus nunquam permissurus sit, ut pereat universalis Ecclesia, velique absolute, usque ad mundi consummationem universalem Ecclesiam permanere, juxta illud Christi, *Porta inferi non prævalerunt adversus eam*; nunquam permissurus est, ut Episcoporum universalitas à vera fide deficiat, sed cum ea usque ad consummationem mundi permansurus est, eique astiturus specialiter, ut semper rectè sentiat & doceat, juxta illud Christi: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

R. 2. gratis dici, quòd omnes Apostoli fidem amisserint in passione Domini: hoc enim nullibi invenitur, & solum in Scriptura reprehenduntur circa fidem resurrectionis Christi, quam tempore passionis ejus amittere non potuerunt, quia eam nondum habebant, ut patet ex Luc. c. 18. ubi postquam Christus Apostolis dixit, se à Judæis occidendum, & tertia die resurrecturum, statim subjicitur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Et ex Jo. c. 20. ubi dicitur quòd Joannes ipse cum Petro crediderit, corpus Christi, quod in monumento non invenerunt, ab aliquo fuisse sublatum, ut

ante

ante eos crediderat Maria Magdalena. Et ratio cur sic crediderint, subjicitur his verbis: *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Crediderunt igitur Corpus Christi ab aliquo sublatum, quia nondum habuerant fidem resurrectionis ejus, quam fidem revera nonnisi aliquantò post habuerunt. Hinc Christus Marci cap. ult. jamjam in cælum ascensus, non reprehendit Thomam, quod ante passionem ejus non credidisset eum esse resurrecturum, sed quod, aliis Apostolis ipsum a se visum testantibus, non credidisset eum resurrectisse. *Exprobat, inquit Marcus, utens numero plurali pro singulari, incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia is, qui viderant eum resurrectisse, non crediderunt.*

ARTICULUS V.

Utrum Romana Ecclesia particularis errare possit in fide.

RESPONSIO.

Romana Ecclesia particularis non potest errare in fide.

Prob. 1. ex Patribus S. Irenæus lib. 3. c. 3. sic loquitur: Quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maxime, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatē & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Juxta S. Martyrem, maximæ illius & antiquissimæ Ecclesiæ, quam Romæ fundarunt Petrus & Paulus, fides & traditio sufficit sola ad confundendas omnes hæreses; ad quod manifestè requiritur, ut hæc fides & traditio sit vera infallibiliter.

Prosequitur S. Martyr: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorē principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Certè si necesse est omnes alias Ecclesias particulares ea credere, quæ credit particularis Ecclesia Romana, vel particularis Ecclesia Romana nunquam potest à recta fide deficere, vel aliquando à recta fide deficere potest Ecclesia universa, quod apertè repugnat Christo dicenti: *Porta inferi non prævalēbunt adversus eam.*

Juxta S. Martyrem, fideles omnes ea omnia & sola tenere debent, quæ tenet particularis Ecclesia Romana. Ergo particularis Ecclesia Romana est regula fidei, quam necessariò debent sequi fideles omnes. Atqui regula fidei, quam fideles omnes necessariò debent sequi, non potest non esse infallibilis regula, ut per se manifestum est. Ergo particularis Ecclesia Romana & infallibilis regula fidei, adeoque non potest à vera fide deficere. Hinc, quod etiam dicit S. Martyr, qui doctrinam ejus hactenus tenuerunt, doctrinam ab Apostolis traditam tenuerunt. Similiter qui in posterum usque ad finem doctrinam ejus tenebunt, doctrinam ab Apostolis traditam tenebunt.

S. Cyprianus epist. 18. contra hæreticos ad Cornelium hæc habet: *Post ista adhuc insuper pseudo-episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, & Apostolo predicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Juxta S. Cyprianum, particularis Ecclesia Romana, quia Ecclesia principalis est, & radix unitatis sacerdotalis, incapax est perfidiæ. At non est incapax perfidiæ, si potest à vera fide deficere; nam à vera fide deficiendo, perfidia esset. Ergo, &c.

Porro S. Cyprianus, quod apud Ecclesiam Roma-

nam particularem accessum habere non possit perfidia, jure optimo colligit ex eo, quod sit Ecclesia principalis, & radix unitatis sacerdotalis. Nam 1. hoc ipso quod est Ecclesia principalis, est omnibus aliis Ecclesiis particularibus regula fidei, qualis nec esset, nec esse posset, si apud eam perfidia habere posset accessum. 2. Quia est radix unitatis sacerdotalis, non potest non profiteri veram fidem: nam unitas sacerdotalis resultat ex unione morali, qua omnes Ecclesiæ, inter se per unius & ejusdem veræ fidei professionem colligatæ, sunt unum moraliter. Ergo eatenus particularis Ecclesia Romana est radix unitatis sacerdotalis, quatenus per eam & cum ea omnes aliæ Ecclesiæ unam & eandem veram profitentur fidem, hoc est, quatenus ipsa talem fidem profitetur, quæ vera est, & quia profitetur profitentur etiam omnes aliæ Ecclesiæ. Ergo sicut ex institutione Christi particularis Ecclesia Romana non potest non esse radix unitatis sacerdotalis, ita non potest non tenere & profiteri veram fidem.

S. Gregorius Nazianzenus sic ait in carmine de vita sua: *Natura binos haud quidem dedit soles, dedit ipsa binas attamen, mundi faces, Roma, vetustam scilicet, ac novam.... Fides vetusta recta erat jam antiquitus, & recta præstat nunc item, nexu pio, quodcumque labens sol videt, devincies: ut universi præsidem mundi decet, totam colit que numinis concordiam.* Juxta S. Doctorem, fides Ecclesiæ particularis Romana est nexus, quo inter se devincuntur fideles omnes, & devincti constituunt universalem Christi Ecclesiam. Unde fides Ecclesiæ particularis Romæ semper fuit, & nunc est, adde, & semper erit recta fides, quia fideles omnes non possunt inter se devinci, & devincti universalem Christi Ecclesiam constituere, nisi per veræ fidei professionem.

Præterea, juxta S. Doctorem, ad Ecclesiam particularem Romanam, quia præsidet omnibus aliis Ecclesiis particularibus, pertinet servare concordiam inter fideles omnes, eos scilicet in vera fide continendo. Pertinet igitur ad Ecclesiam particularem Romanam continere fideles omnes in vera fide; ad quod manifestè requiritur, ut non possit ipsa à vera fide deficere: nam si ipsa aliquando à vera fide deficeret, quomodo alios in vera fide contineret?

S. Hieronymus lib. 3. apologiæ adversus Rufinum sic loquitur: *Attamen scito, Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi prestigias non recipere, etiam si Angelus aliter annunciet, quam semel predicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.* Ecce apertè profitetur S. Doctor particularem Ecclesiam Romanam non posse in errore induci, & verò si hæc Ecclesia doctrinæ sibi ab Apostolis traditæ sic addicta est, ut Angelo aliter prædicanti, quam prædicaverint Apostoli, non crederet quis hominum unquam potuit, aut unquam poterit eam ad aliter credendum, quam initio crediderit, inducere? Nulla igitur arte humana vel etiam diabolica mutari potest Romana fides, Apostolica voce olim laudata, quippe quæ munitur Pauli auctoritate, cui innitentes Romani novitates omnes hactenus averfati sunt, & in posterum usque in finem averfabuntur.

Prob. 2. Auctoritate summorum Pontificum, qui veras Ecclesiæ suæ particularis prerogativas ignorasse, aut falsas ei attribuisse voluisse, nonnisi iniquissimè judicarentur. Pro omnibus sit Gelasius I. dist. 21. can. 3. ubi decreti ab eo in Concilio septuaginta Episcoporum editi hæc referuntur verba: *Quamvis universæ per orbem Catholica Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Catholica & Apostolica Ecclesiæ, nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis præclara est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri, primum obtinuit, Tu es Petrus, inquit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalēbunt adversus eam. Et inferius sic prosequitur S. Pontifex: Est ergo prima Petri Apostoli Sedes, Romana Ecclesiæ, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi.*

Juxta Gelasium, & ejus Concilium, hæc Christi verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* non

non solum pertinent ad universalem Ecclesiam, sed etiam ad particularem Romanam. Quare porta inferi, sicut propter expressam Christi promissionem nunquam praevalerunt adversus universalem Ecclesiam, quia nunquam deficiet à recta fide, ita propter eandem promissionem Christi nunquam praevaliturae sunt adversus particularem Ecclesiam Romanam, quia nunquam à recta fide defectura est, neque solum universali Ecclesiae, sed etiam particulari Romanae Christus nunquam non assistet, ut rectam semper fidem profiteantur. Unde sicut Apostolus universalem Ecclesiam vocat Ecclesiam sine macula & ruga, quia nulla unquam sedabitur erroris nota: ita iure optimo Gelasius cum suo concilio Ecclesiam particularem Romanam vocat Ecclesiam sine macula & ruga, quia similiter nulla unquam erroris nota maculabitur.

Prob. 3. Ex concilio oecumenico Lugdunensi II. can. 1. ubi dicitur: *Fideli ac devota professione fitemur, quod Spiritus sanctus aeternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professi est haecenus, praedicavit, & docuit; hoc firmiter tenet, praedicat, & docet, & profitemur sancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra:* unde sic argumentor. Ecclesia particularis Romana est mater & magistra omnium fidelium. Atqui mater & magistra omnium fidelium non potest errare in fide: nam si posset errare in fide, posset fideles omnes in errorem inducere; cum teneantur fideles omnes eam docentem audire, & ejus doctrinam sequi; sique possit universae Ecclesiae fidem corrumpere. Ergo, &c.

Dices. Si Ecclesia particularis Romana erraret in aliquo articulo, fideles non tenerentur quoad hoc sequi doctrinam ejus. R. Itaque: sed in hac suppositione, Ecclesia particularis Romana non magis esset fidelium omnium magistra, quam quaelibet alia particularis Ecclesia: careret enim infallibilitatis privilegio, sine quo repugnat eam esse fidelium omnium magistram, & hypothesi quod absolute nolit Deus universae Ecclesiae fidem corrumpi posse, adeoque absolute nolit in errorem induci posse fideles omnes. Ex hac enim hypothesi Deus non potest particularem aliquam fidelium hominum magistram constituere, quin eam simul donec infallibilitatis praerogativa: quia hoc ipso quod particularem aliquam Ecclesiam fidelium omnium magistram constituit, hoc ipso, inquam, fidelibus omnibus eam docentem audiendi, ejusque doctrinam sequendi obligationem imponit.

Prob. 4. Hoc ratiocinio. Si particularis Ecclesia Romana potest errare in fide, supponatur errare in uno aliquo articulo. In hac suppositione, vel omnes aliae Ecclesiae particulares ei consentient, vel non, sed dissentient. In utroque autem casu nulla amplius erit vera Christi Ecclesia in terris. In primo quidem, quia omnes omnino particulares Ecclesiae, ex quibus coalescit universalis, falsam fidem profitebuntur, & vera Christi Ecclesia esse non potest sine professione verae fidei. In secundo vero, quia dissolveretur unitas, sine qua esse non potest vera Christi Ecclesia: hac enim unitas in eo consistit, quod per Ecclesiam particularem Romanam tanquam per principalem Ecclesiam omnes aliae particulares Ecclesiae inter se & cum ea colliguntur professione unius & ejusdem fidei, seu, quod idem est, profitendo unam & eandem illam fidem, quam ipsa proficitur, & quia proficitur: unde dicitur & est certum unitatis, vi cuius ex ea & omnibus aliis Ecclesiis particularibus fit una vera Christi Ecclesia. Ergo ad hanc unitatem requiritur, ut una sit fides Ecclesiae particularis Romanae, & omnium aliarum Ecclesiarum particularium. Atqui non esset una fides Ecclesiae particularis Romanae, & omnium aliarum Ecclesiarum particularium; quandoquidem, ut supponitur, in uno quodam articulo omnes aliae particulares Ecclesiae à particulari Romana dissentirent. Ergo non solum in primo casu, sed etiam in secundo desineret esse vera Christi Ecclesia. Ex his

Argumentor adhuc sic. Universalis Ecclesia est corpus politicum, resultans ex omnibus Ecclesiis particularibus concurrentibus ad particularem Ecclesiam Romanam, & per hunc concursum unum totum morale cum ea constituentibus; unde Ecclesia particularis Romana dicitur & est centrum unitatis, ex qua resultat corpus politicum, quod est universalis Ecclesia. Atqui omnes particulares Ecclesiae eatenus concurrunt ad particularem Ecclesiam Romanam, & ad eam sic concurrente, cum ea constituunt unum illud totum morale, quod est universalis Ecclesia, quatenus fidem eandem cum illa profitentur, & eadem cum illa participant sacramenta sub regimine Episcopi ejus, tanquam supremi Pastoris. Ergo omnes particulares Ecclesiae cum Ecclesia particulari Romana constituunt universalem Ecclesiam, quatenus sub regimine Romani Episcopi, tanquam Pastoris supremi, fidem profitentur, quam profiteretur, & sacramenta participant, quae participat Ecclesia particularis Romana. Ergo fides Ecclesiae particularis Romanae est fides universalis Ecclesiae. Ergo vel fides Ecclesiae particularis Romanae corrumpi non potest, vel corrumpi potest fides universalis Ecclesiae. Fidem autem universalis Ecclesiae corrumpi non posse, supra demonstratum est, & est indubitatum apud omnes catholicos. Ergo, &c.

Confirmatur ex Ecclesiae Gallicanae sensu, cujus testis est saeculo octavo author librorum Carolinorum lib. 1. c. 6. ubi sic loquitur: *Qualiter Romana Ecclesia ceteris Ecclesiis à Domino prelatam, & à fidelibus consulenda sit, prosequamur, praesertim cum non ab aliis scripturis, nisi ab his quas illa inter canonicas recipit, testimonia sint sumenda: nec ab illorum doctorum, nisi eorum qui à Gelasio, vel aliis illius sanctae Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sint amplectenda..... Hec sanctae fidei spiritualibus munita armis, & à fonte lucis & origine bonitatis salutaribus sariata fluentis, & horrendis atrocibusque obstitit haesum monstris, & mellisina predicationis pocula catholicis per orbem ministrat Ecclesia..... unde datur intelligi sanctos & eruditos viros per diversus mundi partes predicationis & scientiae lampade coruscantes, non solum à sancta Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroboracionem ab ea adiutorium implorasse. Quod regulariter... omnes catholice debent observare Ecclesiae, ut ab ea post Christum ad munendam fidem adiutorium petat, quae non habens maculam, nec rugam, & portentuosam haesum capita calcet, & fidelium mentes in fide corroborat.*

Hic Ecclesiae particulari Romanae manifestè attribuitur infallibilitas in fide. Et verò Ecclesia, quam fideles omnes debent consulere, cujus est scripturas canonicas à non canonicis, & autores orthodoxos à non orthodoxis discernere, cujus est omnes fideles docere, à qua post Christum omnes catholicae Ecclesiae ad munendam fidem adiutorium debent petere, cujus est fidelium mentes in fide corroborare, haec, inquam, Ecclesia à vera fide deficere non potest, eique ut nunquam à vera fide deficiat, specialiter assistit Christus, vel ceterè Christus dicendus est verae fidei incolumitati insufficienter providisse, obligando scilicet fideles omnes & omnes catholicas Ecclesias ad consulendam & audiendam Ecclesiam, quae errando fideles omnes & omnes catholicas Ecclesias in errorem possit inducere.

Igitur laudatur author cum dicit Ecclesiam particularem Romanam, sanctae fidei spiritualibus munitam armis, haesum monstris semper obstitisse; non habentem maculam neque rugam, haesum capita calcare, arque fidelium mentes in fide corroborare; manifestè intendit commendare ipsius in fide infallibilitatem: quam infallibilitatem agnoverunt sancti & eruditi viri per diversas mundi partes scientiae lampade coruscantes, tempore necessitatis ab Ecclesia particulari Romana ad fidem suam corroborandam adiutorium implorando.

Nono saeculo Hincmarus lib. de praedest. c. 4. ubi sic

ubi sic ait: *Piis, devotis, atque catholicis hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater, sancta, catholica, atque apostolica docet Romana Ecclesia.* At qui dicit id, quod docet Romana Ecclesia, catholicis satis esse debere, dicit Romanam Ecclesiam non posse non recte docere; & qui dicit Romanam Ecclesiam non posse non recte docere, dicit Romanam Ecclesiam non posse à vera fide deficere. Hujus indefectibilitatis rationem reddit Hincmarus, cum Ecclesiam Romanam vocat omnium Ecclesiarum matrem; & verò hoc ipso quod Christus Ecclesiam Romanam omnium aliarum Ecclesiarum matrem esse voluit, & hoc volendo, Ecclesiam Romanam omnes alias Ecclesias orthodoxa doctrina lacte nutriendi munus imposuit, non potest non velle Christus providere efficaciter, ut nihil unquam nisi sanum & orthodoxum teneat Ecclesia Romana, ne ipsa erroris veneno infecta, omnes alias Ecclesias venenato lacte aliquando inficiat, & sic corrumpatur fides universae Ecclesiae.

De hac Ecclesiae Romanae infallibilitatis prerogativa certus Hincmarus ibidem, ut se certo probet orthodoxum Episcopum, sic adhuc loquitur: *Sequitur qua catholica & apostolica nos docet sancta Romana Ecclesia, qua nos in fide genuit, catholico lacte aluit, uberibus caelo plenis ad solidum cibum nutrit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alias instruendum sua probatione instituit.* Porro quantam hac Hincmari verba ad probandum ejus orthodoxiam vim habeant, supposito in Ecclesia Romana infallibilitatis privilegio, & eo sublato, quantum hac vis imminuatur, nemo est qui non sentiat.

Saeculo duodecimo S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium II. oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque & scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum reserari damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hec quippe hujus prerogativa sedis. Hujus autem sedis nomine Ecclesiam Romanam cum dignitate Pontificia intelligendam esse, patet ex Gelasio loco supra laudato.

Saeculo decimo quarto Petrus de Alliaco apolog. facult. Ad primam Sedem Apostolicam, inquit, pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea, quae sunt fidei, judicialiter definire... quia ad illius tanquam ad supremi iudicis auctoritatem pertinet in fine judicialiter definire, cuius fides nunquam deficit (fides autem primae Sedis Apostolicae, quae est Ecclesia particularis Romana, nunquam deficit) quia de hac sancta Sede, in persona Petri Apostoli eam praesidentis, dictum est Petro: Rogavi pro te ut non deficiat fides tua.

Saeculo decimo sexto Clerus Gallicanus in comitiis Meloduni habitis anno 1579. ubi declaravit, fideles omnes credere & profiteri debere ea omnia, quae credit & proficitur sancta Ecclesia Romana, quae est magistra, columna, & firmamentum veritatis: quia cum hac Ecclesia propter ejus principalitatem, omnem aliam Ecclesiam in rebus ad fidem pertinentibus idem sentire oportet. His porro verbis, quia cum hac Ecclesia, &c. manifestè alluditur ad Irenaei verba à nobis supra laudata. Hic autem Clerus Gallicanus fidelibus Ecclesiam Romanam proponit ut fidei regulam, & quidem infallibilem; cum dicat eam esse magistratam, columnam, & firmamentum veritatis; & iisdem verbis utatur Apostolus, ad asserendam infallibilitatem universalis Ecclesiae.

Saeculo decimo septimo doctissimus Bossuetus, Meldorum Episcopus, in concione quam habuit in comitiis Cleri Gallicani celebratis anno 1682. ubi sic ait: *Roma, quia predestinata fuit ut esset caput religionis & Ecclesiae, fieri debuit propria & particularis B. Petri Ecclesia: quapropter erecta fuit & fixa Romana Cathedra aeterna; Hac est Ecclesia Romana, quae à B. Petro & successoribus ejus edacta, nullam admittit haeresim.... Hoc pacto Ecclesia Romana virgo semper est. Fides Romana semper est fides universae Ecclesiae: idcirco quod creditum est hactenus, etiam nunc*

creditur, & in posterum creditur super: eadem etenim vox aeternum personat ubique, Petrusque in successoribus suis aeternum manet fidelium fundamentum. Hoc dixit Christus ipse: Prius autem caelum ac terra dissolventur, quam verbum ejus inane abeat.

His Meldorum Episcopi verbis, quae etiam Cleri Gallicani verba censeri jure merito possunt; cum concilio illa, ex qua sunt deprompta, comitorum, in quibus habita fuit, iusto typis mandata fuerit & divulgata; his, inquam, Meldorum Episcopi verbis clare dicitur Ecclesia particularis Romana non posse à recta fide deficere, & idcirco, quod notandum est, non posse, quia sic ei Christus semper ascriptus est, ut Pastor semper recte docturus sic oves, & oves Pastorem, recte docentem semper, semper audituræ sint.

Obj. Historia Ecclesiastica docent aliquos, imò multos in Ecclesia particulari Romana prolapsos esse in schisma & haeresim. Sic B. Irenaei tempore Florinus Ecclesiae Romanae Presbyter, adjuncto sibi Blasto, nefandam conflavit haeresim, & multorum in Ecclesia Romana fidem pervertit, ut tradit Eusebius lib. 5. hist. Eccl. c. 15. ubi sic ait: *In urbe Roma Florinus quidam gradu presbyteri de Ecclesia lapsus, una cum Blasto socio criminis & furoris, plurimos de Ecclesia in suum barathrum deducebant, nova adversum veritatem signenta machinantes.* Hi autem inter alia asserabant Deum esse auctorem peccatorum, ut patet ex eod. Euseb. eod. lib. c. 20.

R. Cum dicimus Ecclesiam particularem Romanam à vera fide deficere non posse, non negamus aliquos, imò multos in uno vel pluribus articulis errare posse, qui hoc ipso quod errant, & errorem suum profitebantur, desinent esse de illa Ecclesia. Solum itaque negamus, 1. omnia illius membra posse à vera fide deficere, 2. Tot posse à vera fide deficere, ut non supersint in sufficienti numero, qui cum Episcopo suo veram fidem teneant & profiteantur, atque Ecclesiam illam constituent, quae centrum est unitatis, caput religionis & universalis Ecclesiae, fidelium omnium mater & magistra, ad quam propter ejus principalitatem oportet omniem convenire Ecclesiam, &c.

At inquit. Quid si magna aliqua dissensio in materia fidei oritur in Ecclesia Romana; quae idcirco scinderetur in duas partes aequales? R. in hoc casu, cujus tamen possibilitas jure optimo negari posset, Ecclesiam Romanam fore in ea parte, quamvis supponatur minor altera, quae adhærebit Romano Episcopo, juxta illud S. Cypriani epist. 66. ad Puppianum: *Ecclesia à Christo non recedit: & illi sunt Ecclesia, & plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grege adherens.* Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse. Unde in casu proposito, quod pars adherens Pontifici ut fidei contrarium rejiceret, non posset non esse contrarium fidei, & ut tale ab omnibus fidelibus deberet rejici; quod vero teneret ut ad fidem pertinens, non posset non pertinere ad fidem, & ut tale à fidelibus omnibus recipi deberetur. Breviter, ad illam partem ut centrum unitatis omnes alias Ecclesias particulares convenire oportet, non ad alteram, quae non esset nisi multitudo non solum à particulari Romana, sed etiam ab universalis Ecclesia per schisma vel etiam haeresim separata.

At inquit. Verba Cypriani laudata intelligi debent cum hac tacita restrictione: Modò Episcopus neque haereticus neque schismaticus sit. R. hoc negando: nam v.g. tempore quo Cyprianus epistolam citatam scribebat, particularis Ecclesia Carthaginensis consistebat in multitudine adherente Cypriano, canonicè ad episcopatum promoti. Unde si tunc Cyprianus fuisset schismaticus aut etiam haereticus, particularis Ecclesia Carthaginensis fuisset schismatica aut etiam haeretica. Fideles verò Carthaginenses tunc non ad particularem Carthaginensem, sed ad universalem Ecclesiam ut membra illius pertinuerunt.

At inquit. Si ita est, in casu proposito posset Ecclesia Romana à vera fide deficere. R. neg. Probabilis.

Si

Si in casu proposito multitudo adherens Pontifici, hoc ipso præcisè quòd ei adhereret, esset Ecclesia Romana, & Pontifex erraret, certè Ecclesia Romana à vera fide deficeret. Ergo, &c. R. hoc argumentum non magis valere, quàm istud, quod fieri potest extra casum scissionis: Nunc tota Ecclesia Romana adheret Pontifici, & doctrinam ejus sequitur. Ergo si Pontifex errat in fide nunc, errat quoque in fide tota Ecclesia Romana. Ergo Ecclesia Romana potest à vera fide deficere. Non valet hæc secunda consequentia, & ex priore malè deducitur: quia fieri non potest ut Pontifex erraret in fide in sensu composito totius Ecclesiæ Romanæ ipsi adherentis, & doctrinam ejus sequentis: saltem enim tam impossibile est Pontificem in fide errare in sensu composito totius Ecclesiæ Romanæ, &c. quàm impossibile est ipsam totam Ecclesiam Romanam à vera fide deficere.

Similiter non valet consequentia in priore syllogismo, quod sit pro casu scissionis proposito: cum enim in hoc casu necesse esset alterutram partem adherere Pontifici; & ejus doctrinam sequi, & eam partem, quæ Pontifici adhereret, esse Romanam Ecclesiam, fieri non posset in hoc casu, ut Pontifex erraret in fide: nam tunc Pontificem errare in fide, ram, esset impossibile, quàm est impossibile Ecclesiam Romanam à vera fide deficere. Ex his

Collige I. Quod Pontifex extra casum scissionis, adeoque cum tota Ecclesia Romana damnatur ut heterodoxum, non posse non esse tale, & ut tale à fidelibus omnibus esse rejiciendum; quod verò ut orthodoxum approbat, non posse non esse orthodoxum, & ut tale à fidelibus omnibus approbandum esse. 2. Quod Pontifex in casu scissionis proposito cum parte sibi adherente, altera quantumvis reclamante & contradicente, damnaret ut heterodoxum, fore infallibiliter tale, adeoque ut tale rejiciendum ab omnibus fidelibus; quod verò ut orthodoxum approbaret, fore infallibiliter orthodoxum, adeoque ut tale ab omnibus fidelibus recipiendum. 3. Et ita prætermissa personali infirmitate Pontificis ex cathedra loquentis, quam hic non defendimus, quod Pontifex cum notabili parte Ecclesiæ suæ vel damnatur ut repugnans fidei, vel approbat ut ad fidem pertinens, illud esse infallibiliter tale, quale damnatur vel approbatur à Pontifice & à notabili parte ei adherente: tunc enim unus & idem est in materia fidei sensus Pontificis & Romanæ Ecclesiæ; etiam si altera pars non accedat, sed apertè contradicat; nam hoc ipso fit schismatica, & definit esse de Romana Ecclesia.

At inquit. Quid si pars non accedens, sed apertè contradicens, major sit alia Pontifici acquiescente? R. hoc nihil obesse: cum enim alia pars supponatur notabilis, adeoque facere multitudinem, sufficit ad constituendam Ecclesiam Romanam, & adherens Pontifici, re ipsa constituit; cum ibi sit Ecclesia, ubi est Episcopus cum multitudine sibi adherente: nam, ut ait Cyprianus verbis supra citatis, Ecclesia est plebs sacerdoti suo adunata plebs adherens pastori suo: unde Ecclesia est in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia.

Confirm. In hoc casu vel nulla amplius est Ecclesia Romana; vel consistit adhuc in duplici parte; vel consistit in sola majori parte Pontifici contradicente; vel denique consistit in sola parte minori acquiescente Pontifici. Non primum: nam Ecclesia Romana deficere non potest. Non secundum: alioqui non erit una & eadem fides Ecclesiæ Romanæ, quod est absurdum. Non tertium: nam hæc major pars non est cum Episcopo; cum ab eo dissentiat in materia fidei, atque ita non unam & eandem cum illo profiteatur fidem. Multitudo autem quæ non est cum Episcopo, non est in Ecclesia, & multò minùs est Ecclesia. Ergo superest, ut Ecclesia Romana consistat in sola parte minore Pontifici acquiescente, quæ cum ita minor sit altera, ut sit tamen notabilis, & faciat multitudinem, apta est ad constituendam cum Episcopo suo Ecclesiam particularem, illam scilicet, cujus iure divino particularis Episcopus est Romanus Pontifex.

Unde ulterius sequitur, ex hac parte, quæ acquiescit Pontifici, stare veritatem, errorem verò ex altera parte, quamvis majore.

ARTICULUS VI.

Solvitur obiectio petita ex iis, quæ circa Pelagium & Celestium ejus discipulum Roma gesta sunt sub Zozimo.

*O*bj. Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Celestium hæreticos vel potius hæresiarchas judicavit esse orthodoxos. Patet ex ipsius Zozimi epist. 3. & 4. ad Africanos præfules. In secunda sic loquitur Zozimus: *Sit vobis gaudium, eos quos falsi iudices criminabantur, agnoscere à nostro corpore & catholica veritate nunquam fuisse divulsos. Certe hoc quòd nostra expectatio desiderabat, eluxit; ut damnanda damnarent.* R. revera Zozimum cum Ecclesia Romana aliquandiu delusum fuisse malis artibus Pelagii & Celestii, quos proinde ex errore facti Zozimus cum Ecclesia Romana orthodoxos præjudicavit. Dico, præjudicavit: noluit enim eos absolvere, & in communionem admittere, donec ea de re litteras daret ad præfules Africanos, & ab illis vicissim reciperet, ut apertè colligitur ex prima ejus ad illos epistola, ubi sic ait: *Quare intra secundum mensem aut veniant, qui presentem redarguant aliter sentire, quàm libellis & confessione contexit, aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii sanitas vestra resedisse cognoscat.* Sic igitur Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Celestium judicavit orthodoxos, ut eorum absolutionem distulerit ad duos menses, intra quos possent Africani præfules responsa dare, & inde venire qui Pelagium & Celestium accusarent.

Patet etiam ex Mario Mercatore in commonitorio super nomine Celestii, Pelagii, &c. ubi ea, quæ consecuta sunt, sic enarrat: *Episcopis vero ex Africa rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus, missis etiam gestis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo (Celestio) confecta, vocatur ad audientiam pleniorum ut quæ promiserat festinaret implere, id est ut damnatis predictis Capitulis (de quibus à Paulino diacono accusatus fuerat Carthagine) sententia Afrorum Pontificum, quæ fuerat communionem privatus, absolveretur; non solum non adfuit, sed etiam ex memorata Romana urbe profugit, atque ob hoc à beate memorie predicto Zozimo Episcopo scriptis amplissimis, vel longissimis perdamnatus est.*

Porro Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Celestium aliquandiu judicavit orthodoxos, non eorum errores approbando ut dogmata catholica, ut amplius declarabitur, sed eos ab erroribus illis alienos, vel saltem ad illos sincerè deponendos paratos esse, inculpatè existimando: unde Zozimus cum Ecclesia Romana Pelagium & Celestium aliquandiu susceperunt non ex affectu hæresis, aut ex errore sive culpabili, sive inculpabili juris, sed ex errore inculpabili facti purè personalis, putando eos sincerè agere, non subdolè. Pontificem autem & Ecclesiam Romanam in factis purè personalibus, sed sine ullo veræ fidei dispendio, errare posse, facillè conceditur.

Dices. Zozimus cum Ecclesia Romana ut catholicum approbavit libellum fidei, quem Pelagius ad Innocentium Zozimi decessorem direxerat. Patet ex altera ad Africanos præfules Zozimi epistola, ubi narrat Pelagii libellum publicè recitatum esse, omnibus, qui aderant, gaudentibus & admirantibus, imò & quibuscumque illacrimantibus præ gaudio. Ergo Zozimus cum Ecclesia Romana erravit etiam errore juris in causa Pelagii. R. neg. conseq. Nam libellus Pelagii est planè catholicus in sensu obvio: & hæc clausula, *in qua (fidei professione) si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem tenes, quam subijcit Pelagius, est homi-*

hominis animi verè catholici speciem præ se ferentis. Quare Pelagii libellus ut catholicus à Zozimo & Ecclesia Romana approbari potuit absque ullo errore juris.

Pelagii igitur libellus fidei ut catholicus absque ullo errore juris approbatus est à Zozimo & Romana Ecclesia, quamvis non sine multiplici errore facti purè personalis. Nam 1. Pelagius libellum illum scripserat, & Romani miserat, non ex sincero verè fidei profitendæ affectu, sed ut se, cum erroribus suis, licet jam non semel damnatis, additissimus esset, catholicum simularet, & hac simulatione surriperet Sedis Apostolicæ approbationem, qua munitus posset impunè errores suos palam profiteri, eosque facilius disseminare.

2. Multa in libello suo in sensu obvio catholica, in alieno & pravo sensu intelligebat: sic dicendo *nos semper Dei indigere auxilio* ad bonum operandum, per Dei auxilium intelligebat tantum gratiam legis & doctrinæ, quam volebat nobis sufficere. Item dicendo *hominem semper peccare & non peccare posse*, intelligebat hominem cum sola gratia legis & doctrinæ omni omnino peccato carere posse; & sic dicendo *mandata Dei à singulis servari posse*, intelligebat omnia omnino mandata Dei à quolibet homine absque alio, quam legis & doctrinæ, adjutorio, toto vitæ decursu posse servari: imò intelligebat legis & doctrinæ auxilio nos non indigere semper, nisi ad facilius posse. Quæ omnia ignorare potuerunt Zozimus & Ecclesia Romana; & ea ignorando, circa facta purè personalia errarunt.

Dices. Zozimus cum Ecclesia Romana catholicum declaravit oblatum à Celestio fidei libellum, ut constat ex S. Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum c. 3. At Celestius in hoc libello apertè negabat peccatum originale: nam ut refert S. Augustinus lib. 2. de gratia & pecc. orig. Celestius in libello suo postquam dixit: *Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis Ecclesie, & secundum Evangelii sententiam constemur; quia Dominus statuit regnum celorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires nature non habent, conferre necesse est per gratie libertatem:* hæc subiungit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe à catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine, quia non nature delictum, sed voluntatis esse demonstratur, & illud ergo confiteri (quod infantes baptizentur in remissionem peccatorum) congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur, & hoc præmunire (declarando in quo sensu non intelligantur infantes baptizari in remissionem peccatorum) ne per mysterii occasionem ad creatoris injuriam malum antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.* Ergo Zozimus cum Ecclesia Romana hæreticum fidei libellum approbavit ut catholicum. Ergo Zozimus cum Ecclesia Romana erravit contra fidem. Ad solutionem.

Observa. Celestius in suo fidei libello postquam suam circa articulos symbolo contentos fidem fusè exposuerat, continuò, adeoque antequam de baptismo infantium & originali peccato sententiam suam exponeret, hæc subiciebat verba: *Si quæ verò præter fidem quæstiones notæ sunt, de quibus esset inter plebsque contentio, non ego quasi author alicujus dogmatis definita hoc autoritate statui: sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri apostolatus offerimus probanda esse iudicio, ut si forte ut hominibus qui piæ ignorantie error obreperit, vestra scientia corrigatur.* Patet ex S. Augustino libro proximè citato cap. 23. ubi sic ait S. Doctor de Celestio: *Item in libello, quem Roma dedit, cum fidem suam à Trinitate unius Deitatis usque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, & unde illi nulla quæstio movebatur, quantum dicere libuit explicasset, ubi ad id quod ageba-*

tur, ejus sermo pervenit: Si quæ verò, inquit, præter fidem, &c. ut superius. Celestius igitur in suo fidei libello suam de infantium baptismo & peccato originali opinionem Zozimi & Ecclesie Romanæ correctioni submisit. Ex his.

Ad infantiam R. dist. Libellum fidei à Celestio oblatum Zozimus cum Ecclesia Romana ut catholicum approbavit, sumptum adæquatè secundum se, seu sumptum secundum omnes sententias in eo expressas, N. Sumptum partim secundum se, hoc est, secundum Symboli articulos in eo expositos, & quorum expositio longè maxima pars erat libelli; partim, quantum ad baptismum infantium & peccatum originale, secundum sinceram, ut præsumebatur, animi præparationem auctoris, ea quæ de illis exponebat, submittentis censuræ Sedis apostolicæ, cujus iudicio sese obtemperatur profitebatur, C. Itaque libellus Celestii catholicus declaratus est à Zozimo, & Ecclesia Romana, non eo sensu quod nihil fidei repugnans, nihil non orthodoxum exprimeret, sed eo tantum sensu quod sententia in eo expressa, maxima ex parte esset catholica, reliqua verò, quæ adversabantur fidei, non asseveranter, sed dubitanter & animo ad correctionem comparato, in eo proposita essent, Libellus Celestii catholicus declaratus est à Zozimo & Ecclesia Romana, non eo sensu quod ex omni parte catholice esset, sed eo tantum sensu quod animo verè catholico conscriptus fuisset, nihilque in eo expressum fuisset affectu hæretico.

Hanc responsionem manifestè suggerit S. Augustinus lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 3. ubi sic ait: *Cum hoc* (nempe se non idcirco dixisse infantes in remissionem peccatorum esse baptizandos, ut peccatum ex traduce firmare videretur, &c.) *Celestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia & hoc catholica mentis est: si quæ forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respondere. Non enim hereticis, sed catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait: Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, ut si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit. Hoc in illo factum esse putabant (Romani) quando se literis beate memorie Pape Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit. Et hoc ut plenius & manifestius in illo fieret, expectabatur venturis ex Africa literis.*

Itaque, juxta S. Doctorem, cum à Zozimo & Romanis approbatus est Celestii libellus, non ambiguitas dogmatis; ambiguitas enim suam circa peccatum originale sententiam exponebat Celestius; sed voluntas emendationis approbata est. Celestius suam de peccato originali doctrinam non asseveranter ut dogma fidei, sed dubitanter ut opinionem exponebat in suo libello, eam iudicio Sedis apostolicæ sub mittebat, instrui volebat; si quis in eam irrepsisset error, eum emendare paratus erat: recitator publicè libello, interrogatus num consentiret rescriptis Innocentii, quibus ea de re tota dubitatio sublata fuerat, respondit consentire, & sic respondendo, doctrinam de peccato originali à se in libello suo expositam damnavit, & retractavit, non quidem signatè, sed exercitè, quod satis tunc esse videri potuit Zozimo & Romanis, ratis utendum æconomia erga hominem acerrimi ingenii, qui si corrigeretur, plurimis profuturus erat.

Tunc itaque à Zozimo & Romanis libellus Celestii catholicus dictus est, non quod omnia in eo essent veritati catholice consona, & Zozimus cum Romanis Celestium de peccato originali, ut sententiam, sentire judicaret; sed quia Celestius in eo catholicam virtutem circa omnes Symboli articulos professus fuerat, nec nisi dubitanter proposuerat sententiam suam de peccato originali, & quidem ut corrigendam,

dam, si ita videretur Sedi apostolicæ, eamque re ipsa damnatæ & retractatæ, publicè respondendo consentire se Innocentii ad Africanos Episcopos rescriptis, unde sufficienter probasse videbatur Celestius se non affectu hæretico, sed animo catholico libellum suum conscripsisse. Nam & hoc catholica mentis est: si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respicere. Zozimus igitur cum Ecclesia Romana libellum Celestii non approbavit ut catholicum, ex hæresis affectu, aut ex aliquo errore juris, sed ex errore facti purè personalis, credendo scilicet Celestium sincere loqui & agere; cum tamen mentiretur, ipsumque Pontificem, & Ecclesiam Romanam conaretur ludificare.

Dices. Zozimus cum Ecclesia Romana errorem Celestii circa peccatum originale approbavit ut dogma catholicum. R. hoc esse falsum, ut prob. 1. ex eo quòd in toto Celestii causæ decursu Zozimus nunquam dixerit, nunquam scripserit homines nasci sine macula peccati originalis. Hoc argumento utitur S. Augustinus loco proximè citato, ubi sic ait: *Tot & tantis inter apostolicam Sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, etiam gestis de hac causa apud illam Sedem, Celestius presente & respondente confectis, quam tandem epistola veneranda memoria Pape Zozimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præcepit credi oportere sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit.*

2. Ex eo quòd Celestium, accepto & recitato ejus libello, jussit damnare capitula ipsi aliàs à Paulino diacono Carthagine coram Aurelio Episcopo objecta, & consentire Innocentii ad Africanos Episcopos litteris, ut testis est S. Augustinus, lib. 2. de grat. & pecc. orig. cap. 7. *Hanc, inquit, ejus (Celestii) prælocutionem (qua doctrinam suam de peccato originali submittebat judicio & correctioni Sedis Apostolicæ) venerabilis Papa Zozimus tenens, egit cum homine, quem falsa doctrina ventus inflaverat, ut ea quæ illi à diacono Paulino fuerant objecta damnet, atque ut Sedis Apostolicæ litteris, quæ à sancta memoria suo predecessore manaverant, præberet assensum.* At in dictis capitulis, secundo scilicet & tertio, objectum fuerat Celestio, quòd diceret, peccatum Adæ ipsum solum læssisse; & infantes, qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adæ fuit ante prævaricationem. Item in litteris Innocentii ad Conc. Carth. dicitur, Christum per novæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgasse. Et in litteris ejusdem ad Milevitanum Concilium II. excommunicantur Pelagius & Celestius, quòd dicerent infantibus ad vitam æternam baptismum non esse necessarium; & hoc dicebant quia negabant infantes nasci peccatores. Ergo Zozimus jussit Celestium damnare doctrinam suam de peccato originali. Ergo non eam approbavit, ut dogma catholicum.

3. Cum Africani episcopi ad Zozimum rescriptissent, quoniam libellus Celestii publicè dictus fuerat catholicus, satis non esse; quòd Celestius generaliter, consentiendo scilicet Innocentii litteris, id quod in eo de peccato originali fidei dissonum posuerat, damnet, sed ad vitandum pusillorum scandalum, ab eo expressam doctrinam suam retractationem exigendam, probato consilio, annuit Zozimus. Quare cum se ad id quàm primùm à Zozimo evocandum rescivisset, aut suspicatus esset Celestius, clam, de sua causa desperans, fugam cepit. Minime igitur suæ de peccato originali doctrinæ, tanquam catholici dogmatis, approbatorem, sed è contra infensissimum adversarium habuit Zozimum cum Ecclesia Romana.

Prob. ant. ex S. Augustino, lib. 2. ad Bonifacium, c. 3. jam non semel laudato, ubi dicit Zozimum, ut Celestium à sententia excommunicationis in eum lata abolveret, expectasse donec eum catholicè sentire certior fieret venturis ex Africa litteris, in qua provincia ejus aliquantò calliditas evidentiùs innotuerat. Simonnet Theol. Tom. II.

& sic prosequitur: *Quæ Romanæ litteræ posteaquam venerunt, id continentes non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quòd (Celestius) se generaliter Innocentii episcopi litteris consentire fatebatur, sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat, ne si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apostolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum esse catholicum, quàm emendata, propter illud quòd se Pape Innocentii litteris consentire ipse responderat. Tunc ergo cum ejus præsentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis vel correctio diluisceret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit & negavit examini.*

4. Denique, cum Celestius fugiendo, lycophantiam suam prodidisset, Zozimus qui eatenus illum, utpotè ingenium, quamvis nefando errore perversum, non tamen contemptibile, aliquantè lenius, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplinam, tractaverat, eò quòd studiosè corrigendus potius, quàm facilè damnandus videretur, ut ait S. Augustinus loco citato; Zozimus, inquam, perspecta Celestii obfirmata perveritate, contra eum, & magistrum ejus Pelagium, ad omnes orbis christiani episcopos misit litteras, in quibus Celestii & Pelagii errores, & imprimis eorum de peccato originali doctrinam damnabat, ut patet ex commonitorio Marci Mercatoris à nobis laudato, & aliis veteribus monumentis. Quia autem fronte Zozimus doctrinam à se antea ut dogma catholicum approbatam, tanta postea solemnitate ut hæreticum dogma damnasset?

Dices. Saltem S. Augustinus loco proximè citato satis apertè significat Ecclesiam Romanam in causa Pelagii & Celestii, errorem in fide ut dogma catholicum approbando, errare potuisse. Nam sic loquitur: *Sed si, quòd absit, ita tunc fuisset de Celestio vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverant, approbando & tenenda pronunciarentur, ex eo potius esset prævaricationis nota Romanis Clericis inveniunda.*

R. neg. Itaque S. Augustinus sic loquendo non magis significat Ecclesiam Romanam errare posse in fide, quàm significet Apostolus à veritate apostatari posse bonos Angelos, cum ait Galat. cap. 1. *Sed licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quòd evangelizavimus vobis, anathema sit.* Sicut ergo sensus Apostoli est, Si per impossibile etiam Angelus de cælo aliud vobis evangelizaret, quàm nos evangelizavimus, non audiendus, sed diris devovendus esset: ita S. Augustini sensus est: Si per impossibile Ecclesia Romana Pelagii & Celestii doctrinam, quam antea cum Innocentio ut heterodoxam conscripsit, postea ut orthodoxam approbandam & tenendam pronunciaret, ipsa in fide prævaricatrix habenda potius esset, quàm doctrina illa ut orthodoxa esset recipienda.

Amplius. S. Augustinus hoc loco Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem in fide non modò non oppugnat, sed è contra vel asserit, vel certè apertè supponit. Nam juxta S. Doctorem, prævaricationis nota inveniunda fuisset Ecclesiæ Romanæ sub Zozimo, si tunc doctrinam Celestii approbandam & tenendam pronunciasset, quia ipsa cum Innocentio doctrinam illam damnarat ut fidei contrariam. Ergo juxta S. Doctorem, Ecclesia Romana doctrinam, quam semel damnavit ut contrariam fidei, non posset postea ut fidei consonam approbare sine nota prævaricationis. Ergo juxta S. Doctorem, quicquid Ecclesia Romana damnat ut contrarium fidei, non potest non esse fidei contrarium, & in eo damnando Ecclesia Romana falli non potest: nam si falli potest, quare non posset postea sine nota prævaricationis judicium suum recognoscere, illudque, si ita oporteret, emendare? Ergo juxta S. Doctorem, Ecclesia Romana falli non potest in rebus ad fidem pertinentibus. Sed

His quæ hoc articulo & superiore pro infallibilitate

Aa par-

particularis Ecclesiae Romanae à nobis dicta sunt, coronidem imponamus hoc ratiocinio. Universalis Ecclesia deficere non potest: hoc ut dogma fidei recipiant catholici omnes, Ergo non potest deficere centrum unitatis; nam Ecclesia universalis non potest subsistere sine unitate, nec unitas sine centro unitatis; adeoque si centrum unitatis potest deficere, potest deficere universalis Ecclesia. Ergo Ecclesia particularis Romana non potest à vera fide deficere: cum enim sit centrum unitatis, & in tantum sit, in quantum veram fidem tenet & proficitur; si potest à vera fide deficere, fieri potest ut desinat esse centrum unitatis, & sic fieri potest, ut centrum unitatis deficiat. Ergo particularis Ecclesia Romana nihil ut fidei contrarium respicere potest, quod sit fidei consonum; & nihil ut fidei consonum admittere potest, quod sit fidei contrarium; alioqui potest à vera fide deficere. Ergo quidquid particularis Ecclesia Romana damnat ut heterodoxum, infallibiliter heterodoxum est; & quidquid ut orthodoxum approbat, orthodoxum est infallibiliter. Ergo quidquid particularis Ecclesia Romana damnat ut heterodoxum, ut tale repudiari; & quidquid ut orthodoxum approbat, ut tale recipi debet à fidelibus omnibus. Ergo quidquid Episcopus Romanus, sive personalem habeat infallibilitatem, sive non, damnat vel approbat in materia fidei, conficia & consentiente Ecclesia particulari Romana, illud damnavit, vel approbare debent fideles omnes.

Porro qui hoc facere renuit, hoc ipso definit unam & eandem fidem tenere cum Ecclesia particulari Romana. Ergo hoc ipso separat se à centro unitatis. Ergo hoc ipso separat se ab universali Ecclesia. Nam definit esse membrum universalis Ecclesiae, qui definit participare unitatem, ex qua resultat corpus universalis Ecclesiae: & definit participare illam unitatem, qui ab illius unitatis centro divellitur. Et ab illius unitatis centro divellitur, qui definit unam & eandem illam fidem tenere & profiteri, quam tenet & proficitur particularis Ecclesia Romana. Et definit illam unam & eandem fidem tenere & profiteri, qui renuit damnavit vel approbare, quod in materia fidei damnavit vel approbat Ecclesia particularis Romana. Et renuit damnavit vel approbare, quod in materia fidei damnavit, &c. qui renuit damnavit vel approbare, quod in materia fidei, conficia & consentiente Ecclesia particulari Romana, damnavit vel approbat Romanus Episcopus.

DISPUTATIO VII.

De notis verae Christi Ecclesiae.

Notae verae Ecclesiae sunt verae Ecclesiae proprietates, non quaelibet, sed illae tantum, per quas homini Scripturas recipienti, & Christum, ejusque aliquam Ecclesiam existere credenti, evidenter evidenter magna morali & perfecta, atque ita absolute ac respectu cujuscumque intellectus sufficiente, demonstrari potest, quis inter omnes cœtus, qui se veram Christi, doctrinam sequi profitentur, sit vera Christi Ecclesia. Hinc

Ad veras Ecclesiae Christi notas multa requiruntur. Et 1. quidem requiritur, ut illi verè convenient: rem enim per signum, quo caret, cognosci repugnat. 2. Ut illi convenient evidenter; alioqui non poterit per illas evidenter demonstrari. 3. Et ita, ut ex Scripturis receptis evidenter deducantur; alioqui non convenient illi evidenter, seu, quod idem est, non evidenter cognoscuntur illi convenire: quia quod illi convenient, non aliter quam per revelationem divinam, ut talem receptam, evidenter cognosci potest. 4. Ut illi soli convenient: si enim inveniuntur etiam in alio cœtu, qui non est Ecclesia Christi, ab hoc cœtu discerni non potest Christi Ecclesia per notas illas: nam unum ab alio, per id quod utrique commune est, discerni repugnat. 5. Ut sint notiores illa: non

enim notius per minus notum, sed minus notum per notius agnoscitur. 6. Ut sint proportionatae omni hominum generi & conditioni: hic enim agitur de notis, quibus vera Christi Ecclesia demonstrari potest omnibus omnino hominibus, Scripturas divinas recipientibus, atque Christum, & ejus aliquam existere Ecclesiam credentibus. Et verò cum nemo nisi in vera Christi Ecclesia salvari possit, assignari debent notae, quibus omnes Ecclesiam illam discernere possint, ut possint in eam ingredi, qui in ea non sunt, & in ea uique ad finem vitae permanere, qui in ea sunt.

ARTICULUS I.

Unum vera Christi Ecclesia sit una, Sancta, Catholica, & Apostolica.

Has proprietates convenire verae Christi Ecclesiae fides docet in Symbolo Constantinopolitano, ubi dicitur: *Credo ... in unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam*, & adhuc singillatim probabimus ex Scriptura & Patribus, sequentibus paragraphis.

§. I.

Vera Christi Ecclesia est una.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam 1. Cor. cap. 10. dicitur: *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Et c. 12. *Sicut enim corpus (naturale scilicet, puta corpus hominis) unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus (hoc est, Christi Ecclesia) etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizari sumus.*

Prob. 2. ex Patribus, pro quibus omnibus sit S. Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiae, ubi haec verba leguntur: *Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: profusenter & largiter rivos latius expandit, unum tamen caput est, & origo una, & una mater fecunditatis successibus copiosa ... Adulterari non potest Christi sponsa, incorrupta est & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.*

Porro vera Christi Ecclesia multiplici modo una est, 1. enim una est unitate principii, hoc est, Dei vocantis & justificantis, juxta illud Apostoli Ephes. cap. 4. *Unus Deus & Pater omnium.*

2. Una est unitate finis ultimi; nam ad unam & eandem vitam aeternam vocati sumus, eamque speramus: juxta illud Apostoli ibidem: *Sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.*

3. Una est unitate mediolorum, per quae possumus & debemus tendere ad vitam aeternam, fidei scilicet, legum, & sacramentorum, juxta illud Apostoli ibidem: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

4. Una est unitate sacrificii, juxta illud Malachiae cap. 1. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: cum enim dicit, oblatio, non, oblationes, aperte unitatem sacrificii significat.*

5. Una est unitate cibi spiritualis, juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 10. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

6. Una est unitate capitis tum invisibilis, tum visibilis, juxta illud Apostoli Ephes. cap. 1. *Ipsam (Christum) dedit (Pater) caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius; & illud Christi ad Petrum & successores ejus, Joan. c. ult. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Unde apud eundem cap. 10. dixerat Christus: *Fiet unum ovile, & unus pastor.**

7. Est una unitate spiritus, à quo tanquam ab externo & separato rectore gubernatur, juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 12. *Divisiones gratiarum sunt: idem*